DE VIGLEVANO ET OMNIBUS EPISCOPIS QUI USQUE AD 1801 SANCTAM ET…

Matteo Gianolio

DE

VIGLEVANO

ET

OMNIBUS EPISCOPIS

NOVARIÆ EX TYP. F. ARYARIA



D. PIO VINCENZO FORZANI

Vescovo di Vigevano

Novara Lit. De Carrè e C

DE VIGLEVANO

ET

OMNIBUS EPISCOPIS

QUI USQUE AD MDCCCI

SANCTAM ET REGIAM VIGLEVANENSEM ECCLÆSIAM

REXERE

Commentaria Historica

Ex variis Monumentis excerpta

A MATTHÆO GIANOLIO

Clarascensi

S. F. D. ET EJUSDEM ECCLESIÆ CANONICO

AERE PUBLICO EDITA

PIO VINCENTIO FORZANI

EPISCOPO VIGLEVANENSI

ABBATI SANCTAE MARIAE DE AQUALONGA

COMITI ZEMIDAE

AUGUSTISSIMI REGIS A CONSILIIS

EX D. N. GREGORII PAPAE XVI.

ANTISTITI DOMESTICO

ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI

EQUITI COMMENDATARIO ORDINIS SS. MAURITII, ET LAZARI

CIVITAS VIGLEVANENSIS

ꝏ. ꝏ. ꝏ.

Summa quidem laude dignum suscepit opus Canonicus noster Gianolius quum Viglevanensium Praesulum acta, et monumenta magno labore undique conquisita in unum adegit, atque typis mandanda censuit. Haec partim edita, et Antistiti Josepho Francisco Scarampi dicata, partim

manuscripta, nunc primum uno opere formis impressa, Tibi, Amplissime Praesul, Viglevanensem hanc urbem ingredienti, meritoque sacram hanc infulam suscipienti, in obsequii, et observantiae testimonium Civitas laetabunda dicat et nuncupat. Antecessorum Praesulum quemadmodum jure Tuis praeclare gestis in spem adducitur virtutes omnes aemulaturus, cunctorum ordinum vota, et magnam de Te conceptam expectationem vinces, nec non Pontificatus diuturnitatem, quam Tibi continuam, atque auspicatissimam ominatur.

VIGLEVANI V. MAII MDCCCXLV.

Humanissimo Lectori

In historicis Episcoporum Viglevanensium commentariis ne expectes, humanissime Lector, mirifica illa, quae primis Ecclesiae temporibus, saeviente Imperatorum tyrannide, et ingruentibus pertinacium virorum haeresibus, sanctissimi Pastores ope divina freti strenue peregerunt; in serie tamen nostrorum Antistitum sanguinis nobilitate, doctrina, et morum sanctitate spectatissimorum reperies res optime gestas, et, prout rationes temporum postularunt, memoria posterorum dignas, quae ne omnimoda delerentur oblivione, ad Ecclesiae nostrae decus gravem hanc, licet viribus meis imparem,

scribendi provinciam suscepi. Haec libentius praestiti, ut justis Civium Viglevanensium votis aliquo modo satisfacerem sibi jamdiu exoptantium synopsim historicam conscribi omnium Pontificum, qui Regiam Viglevanensem Ecclesiam rexere, cum de iis nemo hactenus ex professo egerit.

Verumtamen timeo, ne sicuti complures sola rei unitate, et curiositatis studio ad librum legendum se convertant, ita parvi pendentes res exaratas tantum studii, et laboris in id operis collocasse mihi succenseant. Sunt enim revera, qui id studii genus leve, ac inutile omnino judicant; sed cum unusquisque suo abundat sensu, ii sunt plerumque, qui de libris nedum apertis, et superficie tenus, variis locis quasi aliud agentes ubiter lectis, inconsultum judicium ferre de rebus sibi incognitis audent: sed alii fortasse, qui hujus generis eruditionis expertes nihil rectum, nisi quod ipsorum gustui, studiisque convenit, censent. His cum Baldo celebri juris perito [1] respondebimus, reprehendendum eum, qui cum possit, nolit quidquam scriptum posteris relinquere, et nihil omnino in Patriae gloriam conferre.

Caeterum quidquid judicii ferant Lectores hujusmodi, malui me litterariis obtrectationibus exponere, quam labores hosce meos nonnullorum petitionibus denegare, inter quos cum adsint Hispani, ut eorum commodo etiam servirem, Commentarios hosce meos Latine exaratos protuli [2]. Quod redarguendum invenies ob de-

(1) In prooem. decretal. n. 3.

(2) Cum Civitas Viglevani centum sexaginta, et amplius annis Hispaniarum Regibus paruerit in serie suorum Episcoporum sex Hispanos enumerat Episcopos

fectum perpoliti scribendi cultus, hoc sane tibi rependet summa fides, qua omnia, quantum in me fuit, excerpsi, nullis laboribus parcens, nullisque impensis; singula Urbis monumenta diligenter inspexi, nullumque locum praetermisi, qui ad Patriae decus, conciviumque splendorem pertineret; imo hisce non contentus alios permultos manuscriptos codices ex Hispania, Germania, atque ex universa Italia amicorum ope mihi suppeditatos assiduo studio consului, et sparsa in probatissimorum auctorum libris collegi: Auctores vero, ac monumenta, e quibus res fuerunt depromptae, semper in medium afferuntur; atque in omnibus exacta temporum series observatur.

Ne vero quid tibi offeram ignores, optime Lector, brevem in primis habebis tamquam prodromum notitiam de Viglevano, deque celebrioribus Principibus, qui eorum favore nostram illustrarunt Urbem. Mox omnimoda Ecclesiae Cathedralis institutio, atque omnium Episcoporum series, qui eam rexerunt, tibi exhibebitur. Ad calcem vitae cujusque Episcopi nomen adjeci Vicarii Capitolaris, cui, sede vacante, demandatum fuit regimen Viglevanensis Ecclesiae, deinde accuratus habebitur elenchus omnium virorum, qui Episcopis vicariam operam praestiterunt, in quorum collectione (ingenue fateor) plurimas scripturas exquirere, multumque temporis, et laboris ob monumentorum inopiam impendere debui; postremo rem perficiet hodiernus totius Viglevanensis Dioecesis status. Ad uberiorem autem rei notitiam historice, et breviter Italico sermone praecipuos describemus Viglevanenses Viros, qui scientiarum laude floruerunt. En tibi totius operis partitionem.

Has igitur lucubrationes, quae Principum beneficia, Praesulum curas, Viglevanensium Virorum scripta, et gesta, monumenta, et inscriptiones, Templorum, et Ædium fundationes, Coenobiorum, et sacrarum Sodalitatum origines, vel quid aliud memoria dignum exhibent, aequo, bonoque animo excipe, humanissime Lector, donec felicior exurgat calamus, qui ampliorem, politioremque historiam conscribere aggrediatur; et nisi eas commendandas duxeris (quod minime ausim petere), at ne improbes, vehementer precor, et exposco.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE VIGLEVANI ORIGINE, ET EJUS RERUM SERIE

Cum singulari clementissimi Regis nostri Victorii Amedei III munificentia Viglevanensibus Civibus me peculiari modo devinctum, obstrictumque agnoscam, atque ex diutino inter eos vigintinovem annorum habito domicilio sim eorumdem Civitate donatus, operae pretium duxi in perennem meae erga ipsos observantiae significationem aliquid breviter de eorum Patria narrare, antequam ad Episcoporum Viglevanensium historiam texendam accedam.

In ea itaque Italiae regione, quae Insubria dicitur, haud procul a limpidissimo Ticini flumine (1), atque ad ejus oram dexteram sita est urbs Viglevanensis viginti

(1) Liceat mihi hoc primo capite prolixior esse in adnotationibus, et plerisque Italico sermone referre: id requirit rerum historia, scriptorumque auctoritas.

Habet Viglevanum fere in suburbiis ab ortu *Ticinum*, ab occasu vero alterum flumen *Terdoppium*, ab aliis *Terdobbium* nuncupatum: utrumque vero effunditur in Padum. Ticinum nobile flumen est, praesertim ob cladem ab Annibale Scipioni illatam, quam non abest conjectura datam fuisse vel in agro, vel circa agrum Viglevanensem; fama enim est nobis a majoribus transmissa prope Casciolam, et circa locum, quem dicunt *Villa Reale*, pugnandi copiam hosti factam fuisse. Praeterea Gaudentius Merula *Antiquit. Gall. Cisalp.* lib. 1, cap. 2, existimat pugnatum fuisse ad Pagum *Cassolae*, quem *Casiliacum* nominat, in agro Vergemiatum: ducitur in eam opinionem ex quadrata

millia passuum fere aequaliter distans a Mediolano, Papia, Vercellis, et Casali s. Evasii. Viglevanum, quod ab Italis *Vigevano*, a nonnullis Latinis historicis *Viglebanum* vocatur (2), a celebrioribus tamen communiter *Viglevanum* dicitur, quando, et a quibus conditum fuerit, rejectis fabulis, ignoratur (3). Perpensis enim

forma castrorum, quorum ejus novo religionis superavit: hac de controversia a pluribus historicis excitata en quid modo scribat eruditissimus P. Sirus Capsonius in opere *Memorie istoriche di Pavia*, vol 1, § 97, p 113 *Ma senza bisogno alcuno di vestigii così durevoli non si toglie però, che in quei contorni medesimi non possa invece del nemico essersi accampato Scipione. Anzi sembra una tal congettura molto plausibile. Noi da Livio lib 21, num. 45, inteso abbiamo che il Romano esercito con varcare il Tesino entrò nell'Insubria, e gl'Insubri di fatti lungo il Tesino superiormente si stendevano, che tanallia ivi comodi in luogo, spiega opportunamente il Ferrari che indica pianitiei all'Italiano, e questo conviene benissimo alla costa del fiume, per ultimo, che l'altura su cui posò distanza 5 m passuum a Vico, a Vigevano (appellato nelle vetuste carte riferite nella storia ms di Novara del sig Canonico D Giambattista Bartoli Vicus Gebuinus) non è lontano dalla costa ove sorgeva Cassolo più di quattro miglia delle nostre, che a cinque romane corrispondono. Aggiungasi che siffatto luogo esser doveva contermine ai boschi dai quali uscirono (presagi a Roma superstiziosa egualmente funesti) e un ingordo lupo (Liv lib 9, n 41), che penetrato nel campo sbranò parecchi individui umani, e uno sciame d'api selvatiche, le quali si contentarono d'alloggiare pacificamente su d'un albero sovrastante al Pretorio, cioè alla tenda generalizia, e siccome niuno ignora, che quel distretto abbondava moltissimo in boscaglie, fa qui tutto cospira nell'accennata ipotesi.*

(2) Innocentius II Pontifex Maximus in suo diplomata Placentiae data anno 1133 ad Litifredum Episcopum Novariae vocat Viglevanum *Plebem Vegevenensem* ut refert Yanoreli Episcopus Carolus a Basilica Petri in *Novaria sacra*, pag 336 *Vicus Veneris* dicitur a Carlo apud Corium *Histor Patr.* part. 1, fol a I. *Viglebium* a Joanne Simonetta, lib. 18 *De reb gest a Francisco Sfortia*. *Vegevenum* a Volaterrano, lib. 4 *Commentar Urban.* *Vergeminum* ab Hermolao Barbaro, et a Gaudentio Merula, lib 3. *Memorabil* cap 13. *Vegevalum* nuncupatur in Chronic. Sicardi Ep Cremon apud Murator. *Rer. Italic script* tom VII, colonna 590. *Viglevanum* a Macaneo in *Verbani lacus descript* lib. 2, cap 9. *Vetevenum* a Basilica Petri *Novar*, pag 38, et 39.

(3) Ridicula certe, ineptaque est ambitio scriptorum, qui rerum suarum initia ab antiquissimis heroibus profecta esse contendunt. Nonnulli Scriptores, et inter alios Augustinus Porta in lib. *De origine populi Viglevanensis* et Paulus Morigia lib. 6, cap. 24 *Della nobiltà di Milano* auctoritate fucti antiquorum mss. annalium Mediolanensium Viglevanum a Viglo, et a Trojanis conditum fuisse autumant. Contra autem refert a Leandro Alberto in *Descriptione totius Italiae* edition. Coloniae, pag. 686, in descriptione Lombardiae Transpadanae affirmat aedificatum fuisse a Romanis in Consolatu Claudii Marcelli post internecionem Viridomari Regis Gallorum fere idem scribit Bernardinus Corius in sua *Patria historia* edit. I Mediol. 1503, initio partis primae fol a I hisce verbis *I Romani con nuovo exercito contra Viridomaro e suoi Colligati ui mandarono Claudio Marcello .... Marcello per lo habito purpureo cognoscendo Viridomaro, con tanto animo lo infestò che l'occise e tutto lo exercito fu debellato et vincto in modo che Marcello ottenne Milano e triumpho per la victoria .... Allor fu edificato un Arco a la porta nominata Romana de grandissimo artificio e sotto la prima volta di quello Marcello li fece sculpire la proprieta di Milano in queste parole. Qui nati modico tempore ulcere Mediolanum inhabitati ubi sero pro legibus observantiae et jure in ossibus hominum describentur .... Dice Corion vetustissimo auctore che in quelli tempi fu edificato un castello ne la riva del Tesino il quale fu nuncupato Vicus unionis: in processo poi nominato Viglevano.* Huic opinioni adhaesit etiam Basilica Petri Episcopus suo doctus in *Novar* pag. 38. Bernardus vero Saccus in *Historia Ticinensi*, lib 3, cap. 8 probare contendit a Laevis fuisse constructum, ab eorum nomine suscepisse, *Vicleum* enim primo quasi *Vicus Laevorum* appellabatur, postea *Viglevanum*

diversorum Scriptorum opinionibus non satis est compertum, cui tute adhaereamus. Pro certo tamen habemus antiquum esse (4). Id sicuti bonis artibus, ac disciplinis, ita etiam Catholicae religionis cultu semper excelluit, et in susceptae fidei, ac pietatis professione constanti animo perseveravit, suisque Principibus, et Regibus

vulgo nuncupatum fuit. Contra non Gaudentius Merula in lib. I De Gallorum Cisalpinor. antiquitat. et orig. cap. 2, pag. 10, haec de Viglevano scribit: Ad ripas Ticini Vergeminum est, olim oppidum, nunc Francisci Sfortiae Ducis Insubrum civitas. Qui hanc condiderint, legisse me nusquam memini. Ante Gothorum illuvionem hoyus ne mentio quidem (quod ipse sciam) facta est.

(4) Caeterum quidquid a Scriptoribus traditur de Viglevani origine, nullo emolumento prodesto, pro certo tamen habetur, ipsum veteris esse constructionis, falsamque esse Raphaelis Volaterrani, et Pauli Merulae sententiam, quorum primus in lib. IV Commentarior. urbanor., secundus in Cosmographia universali, par. II, lib. IV, opinantur, Viglevani auctores fuisse Mediolanensium Duces, aetate Vicecomitum Ducum imperii primordia de existentia Viglevani, ejusque structurae claritatem habemus monumenta: siquidem jam ab anno 1064. Viglevanum liberum erat, et Romanum solum agnoscebat Imperium; quare prodiit inde edictum ab Henrico IV Romanorum Imperatore, quo prohibebat, ne quis Viglevano molestiam inferret sub poena mille librarum auri. Insuper, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castaldio, Sculdasius, nullaque Regni persona praesumat in eorum domos albergare, tholoneum, vel aliquam publicam functionem dare eos cogat, nec eos, nec eorum posteritatem placitum aliquod custodire compellat. Egidius Sacchetti, Vig. Illustr. pag. 34. Praeterea laudatus Corius part. prim. fol. d II ad ann. 1157 haec habet: I Milanesi gravissima guerra facevano a Pavesi. Onde intervenne che la militia de Milano essendo passata il Tesino ne Lumellina fecino assai preda: e con il botim ritornando loro, da Pavesi furono assaliti. Il perche de ambe le parte assiti furono le morti, e più pregioni. Finalmente per essere Pavesi in minor numero, Milanesi prevalsino ne la pugna. Onde fugendo a Vegievano lui si reclusino. Per la qual cosa i nemici gli pusino l'assedio. Quae probant jam ab eo tempore Viglevanum moenia habuisse, quibus munitum, et obsidioni resistebat. Anno Domini 1157. Mediolanenses castrum Papiensium suum Vegevalem destruxerunt. Chronicon Sicardi Episcopi Cremonensis de Federico Imperatore apud Muratorium Rer. Italic. Script. tom. VII, column. 599. Videatur idem Muratorius Annal. Ital. ad ann. 1157, ubi pugnam Viglevani commissam inter Papienses, et Mediolanenses describit, appellatque Viglevanum terram insignem Papiensium. Consulatur etiam Sigonius in historia de Regno Italiae lib. 12, ad ann. 1157: sed instar omnium sit historiae Mediol. clarissi. Comitis Georgii Giulini, qui tomo VII, pag. 58, ad ann. 1157, haec refert: I Milanesi nel mese di giugno fatti venire alle loro spese dugento e più militi Bresciani, adunarono l'esercito, ed avendo inteso, che i militi e fanti Pavesi col Marchese Guglielmo di Monferrato, ed il Marchese Obizone Malaspina, che avea cangiato partito, ed altri Conti e Marchesi sino al numero di sette erano entrati nel forte castello di Vegevano per difenderlo, tosto marciarono a quella volta. Nel secondo giorno si avanzarono sino alle rive del Terdobio, lasciando indietro quella fortezza, come se non osassero d'assalirla. Eodem tom. pag. 70, 71, et 72 ad ipsum annum 1157. Vennero i Pavesi, ed attaccarono con tutte le loro forze la nostra vanguardia (Milanese), ma questa, sebbene fosse debole per la qualità delle truppe, e per gl'impedimenti de' quali era imbarazzata, pure combattette così valorosamente, che costrinse i nemici a fuggirsene disordinatamente, a ritirarsi di nuovo in Vigevano... Quella piazza (di Vegevano) nel maggior uopo si trovò sprovveduta d'ogni cosa necessaria: vennero in fatti i Milanesi, e la circondarono in tal guisa, che più non potette uscire, nè entrar cola cosa alcuna... Sire-Raul, a cui dobbiamo il racconto più distinto di questo avvenimento, dice, che Vegevano si rese a que' patti, che avesse stabiliti Maestro Guntelmo, e gli assediati diedero perciò dugento ostaggi a scelta de' Milanesi. Vide histor. Mediol. clariss. Comit. Verri tom. I, pag. 172. Tomo vero VII, pag. 185, ad annum 1201 prosequitur idem Giulini: La cronica di Daniele in succinto mera che fu assediato il castello di Vegevano (dai Milanesi tolto ai Pavesi), e fu cominciato il

subiectissimum semper fuit (3). Viglevanum ab initio constructionis sui Castri (quod situm erat in loco nunc appellato il *Castellazzo*) liberum omnino extitit, antequam

ponte di Vigevano Ann. ucci obsessum, et victum fuit castrum de Viglevano, et incoepta fuit pons. *Federigo I ed Enrico VI avevano conceduto ai Pavesi il privilegio, che nessuno, fuorchè essi potesse aver alcun ponte sopra il Tesino. Ora i Milanesi, avendo incominciato coi Pavesi una nuova guerra, e non v'essendo più alcun Imperadore ... presero a formare sopra quel fiume un nuovo ponte di contro a Vigevano, che fu poi detto ponte di Vigevano. In fine della storia di Sire-Raul ... abbiamo più distintamente la descrizione dell'assedio di Vigevano, ed apprendiamo, che nel martedì giorno 22 di Maggio ... i Milanesi ... con tutto il Contado e coi Comaschi, Novaresi, Vercellesi ed Alessandrini si portarono ad assediare quella fortezza (Vigevano) ... L'assediato castello di Vigevano era fortissimo. Avea in prima un gran fossato, la di cui riva esteriore era guernita di muro fino alla sommità. Dietro al terrapieno o bastione del fossato, detto allora terragio v'era un muro altissimo con merli, e ve n'era poi anche un altro interiore. Ambidue questi muri erano dal mezzo fino alla cima interrotti colle intonacati di terra ... Per un mese e mezzo continuarono a battere quella piazza. Nel sabbato poi, che fu il ultimo giorno di Luglio, giunsero al campo anche altre compagnie di Milanesi ... e tutte insieme proseguirono ... l'attacco e lo condussero a fine. Il castello fu preso e distrutto, ed i prigionieri furono condotti a Milano.* De hac Viglevani oppugnatione, deque pontis constructione legatur laudatus Sigonius in historia de *Regno Italiae* lib. xv ad annum 1201, et Corius Iodio parte II ad annum 1201. Praeterea annales Mediolanenses ap. 25 apud Muratorium *Script. Rer. Italic.* tom. xvi, column. 657 haec habent: *Anno 1201 cives de Mediolano per pontem de Viglevano tres sevoles turres de Gambalò et tria campanilia destruxerunt, et turrim S. Albini, in qua erant urnae Sanctorum Amici et Ayverii.* Quod attinet ad hos Martyres, qui tempore Caroli Magni Imperatoris occubuerunt in oppido tunc nuncupato *Silva-bella* nunc *Mortara*, legatur Basilica Petri in *Novaria*, pag. 23, 24, et 279, ac Lazarus Colla in *Museo Novar.*, pag. 4, num. 9.

Ne vero recedamus ab historia Comitis Giulini, in tomo viii, pag. 286, ad annum 1275, sic scribit: *Non si atterrirono sì presto i proscritti Milanesi co' loro alleati, anzi appena giunti di là dal Tesino si unirono col Marchese di Monferrato e preso sempre maggior coraggio senza perder tempo alli cinque di Febbrajo diedero l'assalto al luogo di Pombia, e lo conquistarono. Il presidio si ritirò nella Rocca, e di là venuto a capitolare ottenne la libertà di venir a Milano. Non contenti i vincitori, dopo quattro giorni si portarono a Vigevano, ed attaccarono il Borgo. Per difenderlo presero l'armi anche le femine, e fecero costar molto sangue agli assalitori in rendersene padroni. Quando non fu più possibile il contrastare, corsero i difensori per ritirarsi nel Castello, ma perchè gli Spagnuoli entravano con essi, fu calata la Saracinesca, che chiuse la porta di quella piazza. In tal guisa restò al di fuori buona parte di quelli che si ritiravano, e singolarmente le donne, ed anche queste cogli altri furono parte uccise, e parte fatte prigioniere. Allora il Podestà di Milano mosse l'armata per soccorrere il Castello di Vigevano, e venne sino a Trezzano, ed a Corsico, quantunque la terra fosse tutta coperta di neve, ma non ebbe a proseguir più oltre il viaggio, perchè il Marchese di Monferrato co' suoi Alleati dopo aver incendiate alcune case del Borgo di Vigevano, e spogliati i fanti che v'erano all'interno, si ritirò alla volta di Novara.* Consuli etiam possunt de hoc argumento Corius par. II, ad ann. 1275, qui quoque loquitur de nullorum Viglevanensium animo in arce defendenda, et Paulus Jovius in vita *Othonis Vicecomitis*. Multo alios Scriptores, qui de antiquitate Viglevanensi plura scribunt, ex quibus evidenter eruitur, Viglevanum multo primum extitisse, antequam Mediolanenses Principes imperium haberent.

(3) Ut apertissimum testimonium perhibet privilegium Friderici II datum in castro Fori Livii die 10 Octobris 1220: *Notum vobis facimus, quod Nos attendentes merita, et grata obsequia, quae homines de Viglevano fideles nostri Nostris Progenitoribus nostris exhibuerunt fideliter, et devote et potuit sunt jugiter exhibere, ipsos homines cum omnibus bonis suis, quae nunc habent, vel dante Deo, justo modo poterunt adquirere, et Castrum memoratum sub nostri, et Regni nostri custodia, et protectione*

Romanorum Imperatores recognosceret, nedum Vicarios Imperiales (6), et more Romano, suoque jure municipali primum vixit (7), paruitque aliquando Papiensibus (8), aliquando Mediolanensibus, deinde eorumdem Principibus, et Ducibus usque dum victor Ludovicus XII Galliarum Rex Mediolanense imperium armis est potitus (9): etenim ab eodem Rege Marchioni Jacobo Trivultio exercituum duci egregio feudi, et Marchionatus nomine concessum fuit (10) Expulsis postmodum ab Italia Gallis, et Maximiliano Sfortia in paternum Principatum restituto,

excerptimus statuentes, ut de caetero Civitatem ipsam, quod semper fuit Camera Imperii specialis, homines qui habitantes in ea ab aliqua Civitate vel persona non debeant molestari etc. Sacchetti, *Vig. illustr.*, pag. 32, 33, et 74.

(6) Equm Sigonolos de Remoduis erudil 166, et idem Sacchetti *Vig. illustr.*, pag. 65, et in allegat. gio Viglevano super alienatione ipsius Civitatis ei de hac re clarissimum monumentum habemus videlicet sociale foedus a Viglevanensibus antiquitus bis initum per suos Selectos Procuratores Primum firmatum fuit anno 1227 En ipsa primi foederis verba *Commune, et homines Loci, seu Castri de Viglevano, missis prius nunciis Uberto de la Porta, et Anselmo Morello ad petendam societatem, eaque obtenta suos delegarunt Legatos, videlicet Rodulphum de la Cruce Viglevanensium Praetorem, et cum eo Boverm Demanium, et Ughezonem Morellum, qui Mediolani solemni modo admissi, receptique fuerunt ad societatem Civitatum Insubriae, Primae Provinciae, et Romandiolae et cum iis nomine Communis Viglevani, interposito jurejurando sociale foedus inierunt memorato anno 1227, die Jovis XIII calend. Decemb.* Alterum vero foedus sancitum fuit cum Republica Mediolani ann. 1277, die 3 Februarii Sacchet., *Vig. illustr.*, pag. 54 Horum foederum acta in membranis conscripta, quae plurimum exornant Viglevanum, adhuc asservantur in Archiv. Civitat., ubi extat et tertium foedus a Viglevanensibus iterum cum Mediolanensibus initum ann. 1447, die 4 Octobr., de quo infarius dicemus cap. II

(7) Antequam immutaretur modus moderandi Civitatem, Viglevanum suos habebat ingenuos municipales, suos Praetores, Consules, Decuriones, Tribunos plebis, quae munia cum propria sint Romanorum, conjiciendi aliquibus placuit, Viglevanum vel coloniam fuisse Romanorum, vel ad eos olim pertinuisse. Leges municipales seu antiqua statuta Viglevanensis condita fuerunt anno 1225, et confirmata die 4 Octobris anni 1392 a Mediolanensium Duce Joanne Galeatio Vicecomite per suum Diploma, cujus est initium *Hic allegata statuta Communis nostri Viglevani, quae sunt numero capitulorum quatuorcentum viginti duorum* etc. Antiqua haec statuta adhuc asservantur in Arch. Civitat. Sacchetti, *Vig. illustr.*, pag. 28, 29, 30, et 68. Brambilla, *Chiesa di Vig.*, pag. 4

(8) Histor. Ottonis Morenae apud Murator. *Rer. Ital. Script.* tom. VI, col. 394, et histor. Sire-Raul, seu Radolphi Mediol. *de rebus gestis Friderici* I in *Ital.* apud eumd. Murator. *Rer. Ital. Script.*, tom. VI, col. 1178, et Chronic. Sicardi superius nomin.

(9) Ferdinandus Ughelli in *Italia Sacra*, tom. IV, colum. 816 emendata et aucta opera Nicolai Coleti edition. Venet. ann. 1720, et Alberti in *descript. Italiae*

(10) Ludovicus ab Ecclesia in *historia Pedemont.* lib. 3, pag. 130, et Philippus Argelati in *Bibliotheca* tom. II, par. I, pag. 1528 ubi haec habet: *Ludovicus autem Rex paulo post Mediolanum adventans circa annum 1499 in maxima Lelia Basilica Trivultium Franciscus Mareschallum ... annexatum sceptro, et ense donavit, et Viglevani Marchionem constituit......* Laudatus Jacobus Trivultius ob militarem gloriam, et eximiam animi magnitudinem *Magni* cognomen adeptus est, et Senatoriam rerum in Oppido Viglevani incolebat, variis ornamentis speciem eadem fecit hac inscriptione IO. IA. ..... MAR. ..... PRAE ..... Ideat Joannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani, Fortiae Marescallus Plurimae harum nummorum species Mediolani modo asservantur apud illustrissimam Trivultiorum familiam. Vide Murator. *Dissertationem supra le antichita Italiane* lib. I, dissert. 27, edition. Mediol., pag. 573.

Viglevanum ab ipso Maximiliano Marchionis titulo Matthaeo Schiner Cardinali Sedunensi, et Novariae Episcopo fuit dono datum (11), qui cum paullo post a Francisco I Gallorum Rege hocce dominio spoliatus fuisset, devolutum deinde est ad Ducem Franciscum II Sfortiam, quo absque prole mortuo, amplissimae Caroli V Imperatoris ditioni ex ejusdem Francisci testamento, et jure imperii adjunctum fuit; indeque haereditario jure ad Hispanos Reges pertinuit. Extincta in Hispaniis Austriacorum Regum sobole, Viglevanum ad Austriacos Imperatores pervenit, et tandem mense januario anno MDCCXLIV ad felicissimam Sardiniae Regum dominationem transiit, a quibus nunc possidetur.

In tam longa rerum serie, Principumque commutatione silentio praetereundum non est, Viglevanum bello, fame, peste, aliisque infortuniis (12) miserandum in modum vastatum fuisse, a suis etiam proditum (13), a diversis exercitibus occupatum, solo aequatum, ac fere derelictum: quo tempore quis enarrare poterit aerumnas, aliosque tristissimos casus, quibus confecti fuerunt Viglevanenses; atque ad graves eorum angustias indicandas nosse sufficiat in quadam Insubriae celebritate habita anno MDCLVII imagini, quae Viglevanum significabat, appositam fuisse hanc inscriptionem (14):

PRINCIPIBUS OLIM

COLONIA DELICIARUM

CIVIBUS NUNC

HOSPITIUM CALAMITATUM

Incredibile profecto dictu est, quot, et quanta acerbitates pertulerint Viglevanenses partim a militibus Mediolanensibus, Papiensibus et Hispanis, partim

(11) Leander Alberti in *Descript. Lombard. Transpad.*, Ughelli loc., et tom. superius citat., Basilica Petri in *Novar.* pag. 332 Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 448, et Brambilla, *Chiesa di Vig.* pag. 60.

(12) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 79.

(13) Audi iterum Comitem Giulinum, qui tom. VIII, pag. 597, ad ann. 1310, haec narrat: *Enrico VII, Re de' Romani ... deliberò di venire a dirittura alla nostra Città (di Milano) però lasciando Asti alli 17 di Dicembre 1310, passò a Casale. Mentre qui dimorava, un certo Medico di Vigevano gli esibì, che avrebbe introdotto le Regie truppe in quella fortezza di Vigevano, che si teneva per Guido della Torre, e dove erava per Podestà uno della stessa sua famiglia. Non parve ad Enrico dispregevole il progetto, e subito credette ad Ugone Delfino, che con buon corpo di soldati si portasse a prendere il possesso di Vigevano colla scorta del Medico. L'impresa riuscì ottimamente, e il Podestà della Torre fu licenziato senza fargli alcun male.* Vide relationem historicam Nicolai Episcopi Botrontinensis de itinere Italico Henrici VII Imperatoris apud Murator. *Rer. Italic. Script.* tom. IX, col. 891.

Legatur iterum Sacchetti, *Vig. illustr.* p. 77, ubi loquitur de alia proditione, quam nonnulli Viglevanenses in patriam machinabantur.

(14) Brambilla, *Chiesa di Vig.* pag. 2.

Germanis, et Gallis, qui aliquando stipendiis carentes in urbe, et in agro collocati non solum victum a populo diu extorserunt, sed exactionibus (15), direptionibus, caedibus, incendiis, aliisque detestandis modis cives afflictaverunt. Hinc bellica impudentia omnia perturbaverat, atque innumerabiles corruptelae irrepserant: mala tamen non hujus tantum regionis propria, sed aliarum quoque tunc communia. Ast, sedatis tandem bellorum tumultibus per longam annorum seriem urbem hanc improbe lacerantibus, tranquillae pacis affulsit serenitas, qua inter aemulos Reges composita, cives in antiquum splendorem reviviscere coeperunt, ipsae quoque artes, mercatura, lanificium, pannorum textura, cui deinde successit industria praesertim in operibus sericis aucta privilegiis optimorum Sardiniae Regum Caroli Emmanuelis et potissimum Victorii Amedei (16) feliciter regnantis, quotidie magis florescit, atque amplatur, ut in longa

(15) Pro solvendo tributo tot ragioni e varia exercitibus imposito Viglevanenses coacti, ut amplissima jura, ac redditus a Sacchetio, *Vigl. illustr.* pag. 48 enumerantur non modo vendere, atque abalienare sed etiam aes alienum centum millium aureorum diversis temporibus contrahere coacti fuerunt; verum cum conciliati aeris alieni solutioni ob exactionis sumptus Civitas impar semper fuerit, ejus summa modo ultra aucta.

(16) Victorius Amedeus III Sardiniae Rex semper Augustus ut Viglevanensium scientiam, industriam, atque artem praesertim in texturis sericis excitaret, eorumque mercaturam, negotiationem, et commercii opulentiam promoveret singulari favore, et studio eos est prosecutus. In primis solea a gravi mercimoniis tributo, quod negotiatores juxta censum, et pro negotiorum ratione jurejurando interposito, olim pendebant, ipsos omnino exemit, imposita tantummodo levissima taxatione ex verbis Edicti pro Provinciis Alexandriae, Dertonae, Lumellinae, Novariae, Pallantiae, Viglevani, et Vigeriae pervulgati anno 1775 die 15 Septembris: *Abolito il concorso sussidiario delle persone con qualunque nome si chiamasse, o di mostra come a Vigevano, o di colasso come a Novara, e altrove, non si imporrà in avvenire altra tassa personale, che di una lira per ciascuna persona maggiore di anni sette. Soppressa similmente l'annotazione del matrimonio, i commercianti e gli artigiani non soggiaceranno, che ad una tassa proporzionata alla qualità dell'arte, e al maggiore, o minore loro traffico: la qual tassa non potrà eccedere lire quindici nella Città, lire dieci nei Borghi più cospicui, e lire sei negli infimi.* Praeterea clementissimus idem Rex alio diplomate signato die 19 Augusti anno 1783 ipsis privilegium concessit, quo sine ullo aerarii dispendio, comportandi telas sericas Viglevani contextas quae prius vectigales erant, in exteras nationes absque ulla tributi, et portorii solutione in egressu extra terminos, et fines Ditionis, ut sonant ex memorato Diplomate, cujus placet hic aliquam partem dare ... *Le stoffe di pura seta, di seta e filosello delle fabbriche della città di Vigevano saranno in avvenire esenti da ogni diritto tanto per l'uscita dal Vigevanasco al fuori Stato immediatamente, che nel loro transito per le altre Provincie suddite, dovunque occorra di farle passare per spedirle all'estero, con ciò però, che continuino ad essere sottoposte al bollo prescritto dal nostro Manifesto.... E finalmente saranno pur esenti nella loro introduzione in Vigevano li filoselli ed altre materie meramente necessarie alla fabbricazione delle suddette stoffe, come altresì le droghe per uso delle tinture ecc.* Viglevanenses providentissimis hujusmodi legibus freti, et carissima spe lucri excitati artem sericam excolere ac perficere toto sensuperunt industria: et nunc Viglevanum inter primas totius Ditionis Civitates, quoad mercaturam faciunt, admirabili merito prodii

multorum annorum pace negotiatores Vigleranenses varias eorum sericas merces in exteras regiones, et praecipue Germaniam transmittendo, egregiam pecuniae summam in Ditionem quotannis inducant. Quapropter, quod maximi interest, plurima hominum millia ex sericariis operibus honestum sibi victum comparant.

CAPUT II.

DE PRINCIPIBUS, QUI VIGLEVANUM ILLUSTRARUNT

Si Viglevani jucunditatem, aërisque salubritatem spectemus, ibi felix, et salubris est adeo coeli temperies, ut habitatores ad provectam utplurimum aetatem perveniant; hancque ob causam plures insignes Viri Viglevanum incoluerunt, ac frequenter honestarunt; et ipsi Mediolani Principes, pluresque Insubriae Optimates ac Proreges, qui, cum animum a domesticis, et externis rerum maximarum curis recreare, atque animi perturbationibus, corporisque morbis mederi vellent, huc se recipere solebant. Quare nonnulli ex saluberrimis Ticini aquis rite sumptis sibi salutem comparabant; alii diversis venationis generibus distenti (etenim agri, vineae, nemora, silvae abunde aves, lepores, capreolos, cervos, et quandoque apros suppeditant) alii piscationi, nam et foecundissimum est Ticini flumen, et pisces ipsi gustui suavissimi sunt; alii deambulationibus, quae ob aëris salubritatem, et aprica rura amoenissimae sunt, exoptatum solamen percipiebant.

Hinc Principes loci amoenitate, aëris salubritate, incolarum fide, aliisque permoti rationibus Viglevanum illustrarunt, plurimisque ornarunt beneficiis, quorum praecipua, et beneficos Principes placet hoc capite breviter recensere. In primis commemorendus occurrit Henricus IV Imperator, qui, cum singulari gratia Viglevanenses prosequeretur, edicto superius enunciato in primo capite cavit, *ne quis Dux, vel Marchio etc., vel alia quaecumque Regni persona Viglevanum vexaret, eique tributum imponeret*. Inde Fridericus I Imperator cognomento Æno-

barbus amoenitate Viglevanensi captus domum ibi construxit (1); suoque indulto concessisse fertur praeclarae Biffignandorum familiae jus colligendi in Territorio Viglevanensi ex Ticini flumine arenas aureas, quae ibi passim inveniuntur (2). Fridericus vero II pariter Imperator multis hoc municipium privilegiis exornavit (3), ac in fidem suam, et tutelam recepit (4). Omnia porro beneficia ab Imperatoribus concessa Viglevanensibus complexus est Caesar Ludovicus V Bavarus, qui suo diplomate incipiente: *Etsi cunctis Imperatoriae claritatis celsitudo etc.* Papiae signato die XVI Julii anno MCCCXXIX confirmavit privilegia ab Imperatoribus Henrico IV, et Friderico II Viglevanensibus concessa, eoque in diplomate haec etiam leguntur: *Omnes glareas, quae hucusque accreverunt, vel accrescent imposterum super flumen Ticini sitis in territorio Loci, seu Burgi de Viglevano, si nulli alii de jure pertineant, Communi, et hominibus Viglevanensibus supplicantibus, eorumque successoribus cum omnibus emolumentis, et commodis perpetuo in feudum concedimus et donamus* (5).

Principes autem Vicecomites, qui ab anno MCCLXXVII Mediolani imperarunt usque ad MCCCCXLVII, exceptis primis Vicecomitum Auctoribus, videlicet Othone Mediolani Archiepiscopo, et ejus nepote Matthaeo ob res domi, forisque clarissime gestas cognomento *Magno*, ac Galeatio Matthaei filio, caeteri fere omnes Viglevanum frequentatione coluerunt, eique beneficia contulerunt. Inter eos optimus Princeps Actius, ab aliis Azo appellatus, Galeatio Patri suffectus, cum sine liberis Mediolani obiisset die XVI Augusti anno MCCCXXXIX aetatis suae XXXVII, ejus patrui Luchinus scilicet, et Joannes tunc Novariae Episcopus (6) memorati

(1) Historia Imperialis Ricobaldi Ferrariensis apud Muratorium *Rer. Italic. Scriptor.*, Tom. IX, columna 371, haec refert: *Circa il 1162 Federico facendo sua dimora in Italia presso dell'amenità del paese in una estate fece edificare il palazzo di Vigievano e quello di Monza e quello di Landriano, ove regalmente faceva le sue abitazioni addobbare.*

(2) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 99, et Lazarus Cotta in adnotat. ad *Chorographiam Lacus Verbani* Dominici Macanei conflato cum vocabulo Sinzi Targi Catalanai, pag. 85, ad verb. *Ticinus*, et Bramhilla, *Chies. di Vig.*, pag. 56. Consulatum hunc ex Nobilibus in historia inscripta *La Cronaca di Vigevano*, ubi Friderici diploma, aliaque scitu dignissima annotantur.

(3) Sacchetti in *Encom. Vigl.* fol. 8.

(4) Ut patet ex ejus diplomate dato die 27 Maii anno 1220, hisce verbis apud eund. Sacchettum, *Vig. illustr.*, pag. 33: *Per praesentis scripturae notificamus universis tam praesentibus quam futuris, quod, ad supplicationem D. Guidonis de Blandrate fidelis nostri, Viglevanenses cum Hominibus habitantibus ibi videlicet tam locum quam Homines in nostrum Dominium recepimus; volentes etc. ut nec Papienses nec Vercellenses nec Novarienses, seu alia quaecumque persona Homines ipsos, vel locum ipsum ad sui jurisdictionem, et dominium suum cogere praesumant, sed semper sint in Dominio nostro et sub nostra protectione serventur.*

(5) Arch. praec. Notas Petri Georgii Bramhillae.

(6) Joannes Vicecomes initio sui Pontificatus Novariensis, nempe anno 1330 censum imposuit Praeposito Viglevani describendi omnia Sacerdotia, vulgo *Praebendas*, quae tunc Viglevani existebant.

Galeatii fratres, et ambo Magni Matthaei filii in imperium venere, unaque regnarunt. Luchinus vero sic Viglevani Oppido est delectatus, ut ibi aliam arcem (7) circa annum MCCCXLIV ad publicam Viglevanensium tranquillitatem construxerit, atqe ingentem, et amplissimam mesaulam tecto coopertam, quae e Palatio Principum occulte perduceret cum equis, et quadrigis extra Oppidum, artificiose aedificaverit (8). Hisce non contentus ad facilius trajiciendum flumen Ticinum super ipsum e regione Viglevani stabilem fecit pontem (9), quem variis munivit turribus

Luchino tandem sine stirpe Mediolani decedente die XXIV Januarii anno MCCCXLIX, Joannes, qui a Novariensi Episcopatu ad Mediolanensem Archiepiscopatum fuerat translatus, amplissimum solus dominatum habuit; quo tempore instaurationem

Ea in descriptione annotatae fuerunt octo Praebendae Ecclesiae S. Ambrosii, duae S. Martini, duae S. Andreae, et una S. Georgii. Sic etiam idem Joannes, antequam ab Episcopatu Novariensi ad Cathedram, et Principatum Mediolanensem transferretur, anno 1335, adjecit, incorporavitque Loco pio Charitatis Novariae antiquam Nosocomium jampridem Viglevani loci totum e Carolo Morello. Vide Basilicam Petri Novar. Sacr., pag. 524, et Sacchettum, Vig. illustr., pag. 117.

(7) Annal. Mediolanen. cap. CXIII apud Muratorium Rer. Italic. Scriptor. Tom. XVI, colum. 714. Anno Domini MCCCXLII. Dominus Luchinus fecit fieri in Viglevano Castrum, seu Roccam cum magnis expensis, quod appellavit Belreguardum. Haec nova arx constructa fuit in loco nunc appellato la Rocca vecchia. Lege Paulum Morigiam, lib. II, cap. 4 della Nobiltà di Milano, et Sacchettum, Vigev. illustr., pag. 15, et 44.

(8) Idem Sacchet., Vig. illustr., pag. 44.

(9) Chronicon Petri Azarii cap. IX apud Muratorium Rer. Italic. Scriptor. Tom. XVI, colum. 322, eorum commemoratam, et pontem sic describit: Praeterea Dominus Luchinus fecit fieri in Viglevano Castrum mirabile, et innumerabilium expensarum, quod appellavit Belreguardum, tamen cum maximo dispendio communis Viglevani etiam sibi subjectorum. De cujus magnitudine, et longitudine mirabilia possent dici. Fecit etiam confici apud ipsum Viglevanum et super ipsius Territorio pontem unum ligneum firmatum in principiis parietibus fortibus murorum, et super Ticino in longo protensum a ripa Vallis Ticini Loci Viglevani usque ad Castrum Bergoni olim conditum per quondam Dominum Matthaeum Vicecomitem occasione transitus Ticini. Erat autem dictus pons mirabilis, et spatiosus, et protensus ultra modum. Erat latus, quod plaustra bina ferirent pasis, et a pasis. Longus autem per unum miliare, et totus scandulis ligneis coopertus, et tam levatus a terra, quod maximae naves non ponderatae, sive non, sine aliquo obstaculo subtus transibant. In capite vero utriusque partis erant pontes levatorii, et singulas rocchae lignaminis valde fortis. Numquam visus fuit pons ligneus aliquis tam longus, tam securus, quia ab utraque parte asseribus erat circumdatus, et merlatus, et praeparatus ad pugnam, nec tam pulcher, et quem, ut dicetur infra Papienses combusserunt.

Idem Chronicon cap. XII apud Muratorium eodem Tomo XVI, colum. 374, circa annum 1361, de laudati pontis excidione haec narrat: Interea Papienses armata manu per terram, et per aquam viriliter Domino Galeatio resistebant, et ascendentes navibus per Ticinum quam foederati castrametati essent in Maxenzo, et partibus illis infinitam praedam acquisiverunt. Et nolentes, quod pons super Ticinum constructus per quondam Dominum Luchinum sibimet ipsis impediret incursionem per fluvium, una die eumdem pontem penitus combusserunt, et totaliter destruxerunt solo ligno non dimisso, alio asportantes magnos lapides ut parietibus interius, et extus constitutos

Castelli Viglevanensis suscepit (10), moriensque Mediolani die v Octobris anno MCCCLIV testamento haeredes appellavit Matthaeum II, Barnabovem et Galeatium II alterius fratris filios, Stephani scilicet, qui Matthaei Magni filius natu minimus erat. Matthaeus vix in dominationis administrationem ingressus subsequenti anno vita decessit die XXVIII Septembris. Galeatius vero, cui in imperii divisione Viglevanum contigerat, ibique memorati Castelli instaurationem perrexerat (11), cum vigente, et firma aetate diem suum obiisset Papiae die IV Augusti MCCCLXXVIII, ejus filius Joannes Galeatius vir acerrimae mentis et virtutum, seu potius Vertudunensis Comes cognominatus, cum Barnabove patruo, diviso imperio, regnavit. Sed cum ei patruus moliretur insidias, ut rerum imperio unus ipse poliretur, hoc non latuit nepoti, qui senem praeoccupavit: quod mira felicitate, uniusque diei fortuna sine armis, et sanguine successit die VI Maii anno MCCCLXXXV. Barnabos enim a Joanne Galeatio fratris filio ex imperio detrusus, et in Triciani Castello deportatus, ibidem eodem anno die XVI Decembris moritur.

Itaque Joannes Galeatius dominatum adeptus amplissimum inter caetera singulari benevolentia Oppidum nostrum est prosecutus: eodem enim anno, quo primum avito Principatu est potitus, solemnibus Litteris Mediolani datis MCCCLXXVIII die XXII Septembris, quarum initium est: *Supplicationem recepimus etc.*, portum supra Ticinum, idest navem vectoriam cum suis juribus, aliaque privilegia, et immunitates Viglevanensibus concessit (12). Ut autem commercii opulentiam promoveret alio diplomate Papiae signato die XXVI Aprilis anno MCCCLXXXI incipiente: *Condita rerum natura etc.* beneficio nundinarum, et mercatus ob ejus matre Blanca Maria a Sabaudia jampridem indicti ipsos donavit (13), eorumque antiquas leges municipales, seu statuta, ut vocant, approbavit, confirmavitque anno MCCCXCII die IV Octobris (14). Hic Princeps plus caeteris suis decessoribus imperium consilio, et armis latissime protulit, Duxque Mediolani omnium primus est appellatus a Venceslao Imperatore, et propediem Italiae Rex salutandus: ea de re ad Castellum Marinianum regia deferri insignia jusserat, ubi ea constituerat solemni pompa induere; eo ipse jam se se contulerat (15), cum maligna febris (quamquam aliqui nec temere putant, venenum a Florentinis propinatum)

(10) Cancell. Puteus apud Sacchet., *Vig. ill.* p. 15

(11) Idem Puteus apud Sacchet. loc. super. cit.

(12) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 28, 43, 74, et Brambilla, *Chier. di Vig.* pag. 27

(13) *Statut. Vigl.* pag. 322, edit. Medae

(14) Sacchetti, *Vigev. illustr.* pag. 30, et Brambilla, *Chier. di Vig.* pag. 4

(15) Descriptio v. clariss. Ludovici Ferrarii

intra octiduum amplissimas ejus cogitationes intercepit (16). Ibidem fato cessit anno MCCCCII die III Septembris annum agens aetatis suae LV, regno inter Joannem Mariam, et Philippum Mariam ejus liberos impuberes diviso. Joannes Maria Mediolanensium Dux II salutatus, cum se inhumaniter gereret, odiaque hominum incurisset, vix juventutem adeptus miserrime, et nefarie conjuratorum manu contrucidatus est Mediolani in Templo S. Gottardi die XVI Maii anno MCCCCXII.

Successit Philippus Maria memorati Joannis Mariae frater natu minor, et postremus ex Vicecomitibus Dux, qui ob suum in Viglevanenses studium cum insignibus curribus, mulorum turba, atque equorum conspicuo ornatu crebro Viglevanum veniebat (17): ibi amplioris jucunditatis domum erexit, ex cujus speculis per ampla aularum spatia devectus circumspiciebat undique patentes, et subjectas camporum amoenitates (18); et per id tempus venationibus per campos, et Ticini vallem ad id genus solatii aptissimam animum relaxabat, tantaque in Viglevanenses ferebatur benevolentia, ut iis privilegia, immunitatesque concesserit plurimas (19), et ad irrigandam apertam in eorum suburbiis planitiem *la Brughera*, extructis firmis aggeribus, et machinarum ope, quas conchas vocant, euripum ab Abbiate usque Viglevanum deducere moliretur (20). Verum et difficultates, et impensae rem exequi prohibuerunt. Viglevanenses tamen aquarum inopiae consulere volentes, hujus Principis concessu, Euripum *Naviglio*, quo aquae ex Ticini flumine extrahuntur prope Trecatum, efformarunt, aquasque in aridam eorum regionem deduxerunt (21). Insuper ejusdem Principis auctoritate rivum novum in Ticini valle effecerunt ad irriganda eorum prata aptissimum (22). Ut autem divinum promoveret cultum Dux Philippus suis Litteris Mediolani datis anno MCCCCXLV die XXI Maii, quarum initium: *Inter caetera ea libenter amplectentes etc.* Viglevanensibus facultatem fecit (ut erat eorum temporum consuetudo) Ecclesiam aedificandi in honorem S. Petri martyris (23).

(16) Annal. Murator. ad ann. 1402.

(17) Muratori *Rer. Italic. Scriptor.*, Tom. XX, colom. 1006.

(18) Petrus Candidus Decembrius in vita Philippi Mariae Vicecomitis cap. 56, apud Murator., *Rer. Italic. Script.* Tom. XX, colom. 1006.

(19) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 79.

(20) Petrus Candidus Decembrius in vita Philippi Mariae Vicecom. cap. 49, apud Murator. *Rer. Italic. Script.* Tom. XX, colom. 1006.

(21) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 85, et 87, Brambilla, *Chiesa di Vig.* pag. 196.

(22) In Statut. Viglev. pag. 317, de hoc novo rivo honorificum exhibetur diploma Philippi Mariae Ducis datum Mediolani die 3 Junii anno 1448.

(23) Templum satis amplum S. Petri mart. una cum Coenobio a Viglevanensibus extructum ob singularem devotionis affectum, quem ipsi in Religiosos homines S. Dominici gerebant, atque ad votum etiam memorati Ducis Philippi, donatum,

Mortuo Mediolani die xiii Augusti anno MCCCCXLVII (24) sine prole mascula Philippo Maria Mediolanensium Duce iii, atque in eo extincto clarissimorum Vicecomitum regno, Mediolanenses dominatus administrationem susceperunt, pristinamque restituere rempublicam studuerunt; quare creatis iis, qui summae rerum praeessent, Comitem Franciscum Sfortiam insignem in universa Italia bellatorem (25), qui Blancam Mariam memorati Philippi Ducis notham in matrimonium duxerat, suis exercitibus praeposuerunt ad Insubriae urbes recipiendas, quae Mediolanensium imperio se subduxerant. Sfortia rem optime gessit, et hostibus ubique locorum caesis, plerisque Civitatibus receptis, jura Conjugis in Vicecomitum haereditarium imperium repente protulit, viresque omnes sibi

concessumque fuit laudatis S. Dominici Sodalibus. Inde vero auctoritate Romani Pontificis Eugenii IV die primo Novembris anno 1446 summa celebritate in possessionem venerunt, interveniantibus ad sacrum caeremoniam Canonicis illius temporis cum eorum Praeposito Dacielo Arditio, et religiosis viris S. Francisci, quos Minores Conventuales vocant. Hoc autem Templum in quo magnifice asservatur Corpus B. Matthaei Carrerii Ord. Praedic., dedicatum postmodum fuit anno 1480 die 3 Octobris ab Antonio de Gallis Episcopo Ululari, et ajunt, Joanne de Arcimboldis Episc. Novarien., et Cardinale. In ejusdem Templi Sacrario extant pro reponendis indumentis sacerdotalibus arcae vestiariae vermiculato opere perfectae anno 1480. Memoratum Coenobium jure belli fuit a Gallis dirutum, et solo fere aequatum anno 1643, excepta tamen Ecclesia, Sacrario et aula capitulari sed progressu temporis aliud longe latius, elegantiusque, ut nunc videre est, a fundamentis fuit excitatum. Haec omnia extracta fuerunt ex Archivio Coenobii a Patri mart.*

(24) Eodem anno Mortariae constructum fuit Coenobium Minor. Observ. En quid de hoc scribit Waddingus in annal. Minor. edit. second. Tom. xi, pag. 312 *Anno 1447 extra muros Mortarii Oppidi (ita dicti a Longobardorum caede illata Desiderio Regi per Carolum Magnum Imperatorem) in solo collatis ex communi aere sumptibus, domum Minoribus posuerunt. Construendae causa fuit horrendum incendium quo universa conflagrarunt, et ferme trecentum homines absumpti sunt. Ut peculiarem haberent apud Deum tutelarem, qui a simili infortunio imposterum praeservaret, decreverunt hoc obsequio S. Franciscum devincere. Obtenta itaque a Nicolao Pontifice licentia, pro temporis facultate, et rerum penuria, sinum aedificarunt domicilium in loco amoeno accedente consensu Bartolomei Vicecomitis Episcopi Novariensis et Praepositi S. Albini ejusdem oppidi: fratres variis piorum auxiliis domum capaciorem augustioremque reddiderunt. Vi pente demum in Insubria bello anno 1559, et timentibus Oppidanis, ne hosti superventuro deservi ret maxima ex parte diruta est, et paulatim refecta ad pristinum requirit splendorem. In prima sua constructione sub hanc annorum titulum haberunt S. Bernardinus Genuaeg commemorat. sed hic titulus accessit post Canonizationem S. Bernardini, quae nonnisi post triennium facta fuit. Olim suberat regimini hujus Coenobii Monasterium Clarissarum quondam Oppidi, sed sub Clemente VIII factum est jurisdictionis Episcopalis.*

(25) Erat Franciscus Sfortia filius Attendoli Sfortiae, cui ea virtus, et in rebus militaribus peritia inclytum nomen apud Reges compararunt. Hic antea Jacobus Mutiolus a Cotiniola appellabatur: parentes ejus fuerunt Joannes, et Elisia de Petrasciala Cotiniolae. Vide Ripamont. hist. Mediol. decad. iii, lib. v, Corium histor. patr. ad ann. 1369, et alias historias Mediol.

* Hoc amplitudinis ingentis Coenobium anno 1800 per publicam praeceptorem occupatum: an 1810 erecta Ep. Vigilav. Joanne Francisco Toppia Rege Carolo, patrio munifice concedente, pro intem V. Benedicti, condita adi citar Templum magnitudinis vetuste gothico ordine; et tarelle conspicuum in Parochialem D. Christophori Ecclesiam origines, quibus propiores Parocco Praeposito includendae traduntur.

Editores

creditas in Mediolanum convertit, urbemque pertinaci obsidione, et fame perdomitam in deditionem denique accepit, Duxque Insubriae quartus, fere biennio post Philippi Mariae mortem, fuit dictus.

Illatam Mediolanensibus injuriam admirabili deinde humanitate, omnique officiorum genere Franciscus compensavit. Vir fuit pace, et bello supra omnem fidem dignus imperio. Ipse Vicecomitum nomen haereditarium sumpsit, transmisitque suis, sed in ejus filiorum liberis regnum deinde desiit, cum tantummodo imperaverint Sfortiaci Principes ab initio anni MCCCCL usque ad Calendas Novembris anni MDXXXV. Omnes Sfortiaci Principes amoenitatis Viglevanensis adeo sunt oblectati, ut ibi tamquam in jucundissimo loco suas statuerint delicias, ut loquitur Paulus Jovius, et longam traxerint moram. Inter caeteros enim laudatus Franciscus, postquam juri, potestatique suae Viglevanum subjecerat (26), ibi Ducales aedes a Vicecomitibus constructas amplificavit, et Oppidi muros magna ex parte in obsidione dirutos, atque collapsos refecit. Cum vero primum Viglevanum advenit, non modo videre voluit mulieres, quae in patria defendenda

(26) Viglevanenses post mortem Ducis Philippi Vicecomitis, antequam juri, potestatique Francisci Sfortiae subjicerentur, occasione, qua eorum clarissimus Civis Petrus Candidus Decembrius delectus fuerat a Mediolanensibus ad tuendam Insubriae libertatem, commoto et ipsi antiquae eorum libertatis, octo delegarunt Procuratores (qui fuerunt Augustinus Biffignandus, Galeatius, et Franciscus Colli, Ubertinus Ferrari, Thomas Jacobus Maggi, Stephanus Rodolphi, Franciscotus Silva, et Joannes Rolandus Valmi), et postea die 4 Octobris anno 1447 iterum cum Mediolanensibus priscum sociale foedus solemniter inierunt, in easque convenerunt conditiones, quae referuntur a Sacchetto, *Vig illustr*, pag. 66 et seq.

Interea Viglevanenses, inito hoc foedere, arcem a Principe Luchino Vicecomite constructam destruxerunt, obedientiamque a Comite Francisco Sfortia eis intentatam diu sustinuerunt in fortione ipsae in arce defendenda plurimum valuerunt, prout alias effecerunt, nimirum anno 1275 ut diximus Cap. 1. Eo quo modo commemoratam obsidionem describit Petrus Spinus in *Vita Bartholomei Colleoni* Veneti exercitus imperatoris clarissimi Lib. IV. *I Milanesi coll'ajuto di quel potente Castello (di Vigevano) mettevano a ferro, e fiamma tutta la Lomellina. Lo Sforza fù costretto di levar l'esercito dal Castello di Milano, e condurlo per ricuperare Vigevano. Ma inutilmente dopo varii tentativi, e con infelice successo poichè difendendosi gli assediati fieramente dalle batterie, ed assalti nemici avevano fatto perire un gran numero de' suoi valenti soldati. Pertanto alla pressochè disperata espugnazion di Vigevano richiamò da Novara il Capitano Bartolomeo Coglione di Bergamo, il quale dopo un lungo, e duro combattimento costrinse i Vigevanaschi a trattare di arrendersi, e si arresero amichevolmente.* Vosius hac de se serraliorem instituunt Joannes Simonetta, Lib. XVIII, cap. 7, in vita Francisci I Sfortiae, cujus erat a secretis, apud Murator. *Rer. Italic. Script.* Tom. XXI, column. 540 et seq., Ripalta apud eumdem Murator. Tom. XX, colum. 900, in ejusd. annal. ad ann. 1449. Hujus certaminis historiam ex Simonete ad verbum descripsit Corius par. V ad annum 1449. Legatur Spelta histor. pag. 410. Tandem, plerisque ex utraque parte interemptis, Viglevanenses die 3 Junii anno 1449 victori Francisco Sfortiae se se sua sponte dediderunt sub conditionibus relatis a Sacchetto, *Vigev. illustr.* pag. 71 et seq. Vide Ripamontium, *histor. Urb. Mediolan.* decad. III, lib. V, pag. 390.

tam strenue contra eum dimicaverant (27); verum etiam illas est humanissime allocutus. Insuper nonnulla privilegia, immunitatesque Viglevanensibus concessit ob donationem ei factam de pluribus agris, et silvis, quae deinde pro instituendo Sfortiaco praedio aptissime valuerunt, nec non de euripo ab ipsis effosso (28). Interea cum Viglevani nullum tunc extaret Sacrarum Virginum Collegium, ipse ad plurium puellarum votum a Romano Pontifice Callixto III (29) facultatem obtinuit instituendi pro eis Monasterium sub nomine, et regula S. Clarae.

Post multa praeclara gesta ad sexagesimum quintum aetatis suae cum pervenisset invictissimus Dux Franciscus, tandem Mediolani obiit die octava Martii anno MCCCCLXVI, ejus filius Galeatius Maria inter multos fratres natu maximus successit, Duxque Mediolanensium V fuit appellatus. Hic tanto studio in Viglevanum proprendebat, ut ibi ob universis Ditionis Civitatibus, et Communitatibus excipere voluerit solemne obsequii tributum, quod ei, ejusque uxori Ducissae Bonae a Sabaudia reddiderunt omnes Communitatum Procuratores, in ejusque verba juraverunt (30). Hic Princeps inter caetera Palatium Ducale Viglevanense

(27) Cancellar. Puteus apud Sacchettom, *Vig. illustr.* pag. 60

(28) Ut patet ex ejus Litteris Mediolani datis anno 1453 die 10 Junii, quae hoc modo incipiunt: *Ne negligere videamur insigne munus, quod nobis sua sponte fecit Communitas nostra Viglevani de possessione sita super ipso territorio Viglevani, quae multarum perticarum est cum jure adaquandi . . . Et pro aliquali remuneratione expensarum operum, et laborum, quae et quas homines ipsi hactenus perpessi sunt, et in futurum patientur occasione hujusmodi possessionum nostrarum, ac etiam cavamenti navigii memorati, gratos erga eos videamur etc.* Vide Sacchettum *Vig. illustr.* pag. 55, et 73, et Brambillam *Chies. di Vig.* pag. 109.

(29) Idem Waddingus Tom. XIII, pag. 61, ad annum 1458 haec narrat: *Catharina Magistri Antonii de Barbavis, Francischina de Bellaciis, ac nonnullae aliae sorores tertii Ordinis commorantes in Oppido Viglevani Dioecesis Novariensis domum suam satis amplam, et commodam in Monasterium S. Clarae convertere, et sub eadem regula deinceps vivere cupientes intercessorem adhibuerunt Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem apud Pontificem Callistum III. Assensit precibus Pontifex, jure tamen parochialis Ecclesiae, infra cujus limites dictum Monasterium extitit, in omnibus semper salvo, commissa rei indagine Episcopo Novariensi per Diploma Injunctum Nobis, datum Romae anno 1458, IV nonas Martii.* De hoc Monasterio nullum amplius extat vestigium.

(30) Clarissimus Dumont in Opere Diplomatico, Tom. III, par. I, pag. 23, et 25 haec refert: *Anno 1476, die 20 januarii juramentum obedientiae, et fidelitatis solemni modo praestiterunt Galeatio Mariae Sfortiae Duci Mediolani, Dominae Bonae Ducissae de Sabaudia ejus Conjugi, et Joanni Galeatio ejus primogenito in Castro terrae Viglevani, videlicet in camera cubiculari praedictorum Dominorum Ducis et Ducissae Syndici et Procuratores inclytae Civitatis Papiae. Procuratores Civitatis Cremonae, Parmae, Placentiae, Laudae, Terdonae, Alexandriae, Cumarum flexis genibus constituti coram praedictis Dominis Galeaz Maria Duci, et Domina Bona Ducissa Mediolani praestiterunt juramentum fidelitatis et obedientiae, et post eos eodem die Lunae vigesimo mensis Januarii Procuratores omnium Communitatum Ducatus eodem modo juramentum praestiterunt, et pro Viglevano nobiles, et prudentes Georgius de Colla, Spiritus de Puteo, Joannes de Gusmaniis et Ambrosius de Granarola Syndici, et Procuratores Communitatis Terrae*

restauravit (51), eique sacram adjunxit aedem (52); Templum etiam S. Francisci Minorum Conventualium (53) (cujus substructionem jampridem inchoaverat S. Bernardinus Senensis, dum in hoc substitit Coenobio), excitavit, absolvitque anno MCCCCLXX (54). Pari modo una cum Viglevanensibus auctor fuit anno MCCCCLXXV Coenobii Minorum Observantium, eorumque Ecclesiae sub titulo S. Mariae Gratiarum (55).

Viglevani, ut publico constat instrumento tradito, et rogato die Dominico septimo praedicti mensis Januarii per Antonium de Guspertis Notarium publicum. (Pièce autentique tirée de l'original, qui se gard dans les Archiv Royal de Milan.)

(51) Leander Alberti in descript. totius Italiae.

(52) Castellar. Puteus apud Sacchet., *Vig. illustr.* pag. 13.

(53) Quo nam tempore Minores Conventuales S. Francisci Viglevanum advenerint, eorumque Coenobium fuerit institutum, prorsus ignoramus: ex publicis tamen monumentis pro certo habemus, S. Bernardinum Senensem (qui in coelum evolavit anno 1444) in hoc Coenobio commoratum fuisse, nec non Minores Conventuales anno 1444 comitiis interfuisse actisque, quo Viri Religiosi S. Dominici primo Viglevanum advenientes in eorumdem Monasterii possessionem fuerunt deducti. Incertum pariter est, quo nam anno B. Anselmus de Anselmis Viglevanensis Ord. Minor. Conventual. obierit, cujus corpus, ut ferunt, jacet sub ara maxima S. Francisci. Omnem operam, omneque studium contulimus tum apud Minores Conventuales, tum foris, ut aliquod documentum ad hunc Beatum spectantem reperiremus, sed frustra: ex aliquibus nihilominus conjecturis deducere licet, memoratum Anselmum pretiosam mortem oppetiisse tempore Galeatii Mariae Sfortiae Mediolanensium Ducis. v. Legatur Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 137, et Cotta in *Museo Novar.*, num. 12, pag. 6 *

(54) Hoc anno 1470. die 5 Octobris Viglevani in S. Petri Martyris Coenobio Ordinis Praedicatorum sancte obiit, ac nunc etiam quiescens colitur B. Matthaeus ejusdem Ordinis a Patria cognomento Mantuanus, a familia vero, de qua natus est, de Carreriis dictus. *Fere omnia sentiunt* (sic enim Bollandistae in actis Sanctor. Tom. III, mens. Octobr. ad diem V ejusdem mensis pag. 231) *B. Matthaeum Deo spiritum reddidisse anno* 1471. Attamen antiquus Codex MSS. ejusdem Coenobii narrat, *P. Matthaeum Carrerium sanctitatis fama migrasse ad Dominum die 5 Octobr. 1470 pontificante Paulo II. sub Friderico tertio Imperatore, et Galeatio Mediolani Comite Quinto.* Cum autem certo sciamus, Paulum II. Pontificem e vita recessisse anno subsequenti 1471, die 26 Julii, dicendum est, B. Matthaeum obiisse anno 1470. His documentis, aliisque rationibus ducta S. R. C. in Lectionibus Breviarii eum mortuum dicit anno 1470. Hujus Beati praeclara gesta referunt Ambrosius Taegius, Leander Albertus, Hieronymus Borsellus, Stephanus Razzius, et Michael Pio, aliique Scriptores. Consulatur hac de re P. Antonius Touronius, qui Romae nuper edidit vitam B. Matthaei, de quo iterum in hoc opere disputabimus.

(55) Ex tabulario Coenobii S. Mariae Gratiarum, atque ex annalibus trium Ordinum eruitur: Religiosos homines S. Francisci, quos Minores Observantes appellant, spiritualibus suorum exercitationibus plurimum ad instituendos Viglevanensium mores contulisse. Quapropter ad petitionem Ducis Galeatii Mariae Sfortiae, nec non Viglevanensis populi Sixtus IV. suis apostolicis Litteris Romae datis anno 1470 decimo calend. Martii, quarum est initium *Pax Christi fidelium votis etc.* facultatem concessit, eamque commisit Praeposito Oppidi Viglevani, ut locum dicti Oppidi tunc Dioecesis Novariensis domum, et Ecclesiam a se pro fratribus Observantibus extra Oppidum inchoatam possent perficere sub invocatione S. Mariae Gratiarum. Hoc Coenobium omni ex parte perfectum ob saluberrimum aërem, propterque coelum pro convalescendis infirmis Religiosis, viribusque deperditis celeriter recuperandis alias decorabat, ut refert Waddingus in *Annal. trium Ordinum S. Francisci* tom. XIV, pag. 165.

* An. 1801 vestigium exstitit hoc in Coenobio constitueretur; Templum in subsidium adjicitur Parochiae S. Dionysii. Edit.

Alia multa perfecisset in Viglevanensium favorem Dux Galeatius, si a conjuratis florente aetate triginta trium annorum crudeliter necatus non fuisset: ipse enim anno MCCCCLXXVI diu Viglevani constiterat, et ad solemnia Christi Natalia celebranda Mediolanum petierat; ibi in Templo S. Stephani, recurrente ejusdem Divi protomartyris festivitate, a conjuratis nefarie fuit contrucidatus. Galeatio itaque Sfortia extincto, ejus filius Joannes Galeatius regno successit, parique benevolentia Viglevanenses est prosecutus. Iis enim praeter alia privilegia jura aquarum attribuit (56); atque ad majorem Viglevani splendorem ibi, prout ejus Pater, a Savonensibus Legatis solemne fidelitatis, et obsequii tributum excipere voluit (57). Joannes Galeatius optimae spei Princeps cum annum ageret aetatis

nuper vero in elegantiorem formam fuit exaedificatum in Ecclesia ab Antonio de Callis Episcopo Saloneo die 15 Octobris anno 1476 consecrata jacet corpus B. Christophori Macassolii Mediolanen. Ord. Minor. Observ., qui, postquam per 50 annos in maxima doctilate inter eos vixisset, multis clarus virtutibus, et miraculis coruscans in hoc S. Mariae Gratiarum Coenobio migravit ad Dominum anno 1485. Vide Martyrolog. P. Arturi a Monasterio pag. 83, die 5 Martii.*

(56) Diplomatis amplissimi a Duce Joanne Galeatio Mediolani signati anno 1485 die 11 decembris placet hic aliquam partem dare. *Nec non cum auctoritate plenaria permittendi, et concedendi nostro, et Ducalis Camerae nostrae nomine, Communi, et hominibus Viglevani, ut possint extrahere per omnia subsequutura tempora illam aquae quantitatem ex alveo navigii praedicti Viglevani, quae Communi, et hominibus ipsis necessaria fuerit pro irrigandis eorum possessionibus, et pratis, ipsis tamen, qui beneficio aquae praedictae gaudebunt, solventibus soldos quatuor imperiales pro qualibet pertica possessionis, et pratorum, quae irrigabuntur, singulo anno Ducali Camerae applicandos, nec non licentiam opportunam faciendi quaslibet rugias, buchellos, et aquaeductus, in et ex dicti navigii alveo profluentes prout duxerint ipsi Commune, et homines necessarium, et eis commodius visum fuerit, cum portis, monstris, et aliis in similibus expedientibus, et opportunis.* Vide Sacchet. *Vig. illustr.* pag. 35, et Brambill. *Chiesa di Vig.* pag. 148.

Viglevanensibus insuper copiam fecit Dux Joannes Galeatius aedificandi pistrina, et fullonicam officinas, atque eis aquas quae ad harum artium usum necessariae forent benevolentissime concessit.

Non est hoc loco omittendum ad tempora Joannis Galeatii Ducis, nimirum ad ann. 1482 referendam esse institutionem Monasterii sub nomine S. Clarae in Oppido Mortariae, ut constat ex Apostolicis Litteris Summi Pontificis Sixti IV. Romae datis anno 1482 septimo idus Julii ad Praepositum Ecclesiae S. Theclae Mediolani, in quibus facultas fuit facta Joanni Aloysio de Maletis, et Luciae de Bellonolis Conjugibus Novariensibus, ut in praedicto Mortariae Oppido tunc insolito frequenti Monasterium Virginum sub invocatione et regula S. Clarae construerent. *Archiv. ejusd. Monaster.* et *Waddingus* Tom. XIV, pag. 339, anno 1482.

(57) Laudatus Dumont Tom. III, par. II, pag. 213 et seq. haec narrat. *Anno 1488 die mercurii tertio Decembris juramentum fidelitatis per suos legatos, et procuratores solemni modo praestitit Civitas Saonensis D. Joanni Galeaz Mariae Sfortiae Duci Mediolani in Arce Viglevani, suasque petitiones exhibuerunt, earum confirmationem obtinuerunt. Actum in Viglevani Arce in Cubiculo praefati D. Ducis praesente D. Ludovico Maria Sfortia ejus Ducis Patruo, Curatore, Locumtenente, et Capitaneo generali, et praesentibus Federico Episcopo Malacensi, et fratribus Comitibus de S. Severino de Aragonia, aliisque insignibus Viris.* Haec extracta sunt a registro inscripto sub litteris LL. existente in Regio Archivio Castri Mediolani.

* An. 1810 aedi S. Mariae Gratiarum [illegible] in [illegible] nunc Coenobium [illegible] ...

suae vigesimum quintum in Ticinensi Civitate veneno, ut ajunt, a Patruo propinato e vivis est sublatus die XXII Octobris anno MCCCCXCIV; et rejecto ejus filio Francisco, qui Patris imperio succedere debebat (38), dominatum Mediolanensem, auctoritate Maximiliani Imperatoris, arripuit Ludovicus Maria Sfortia cognomento *Maurus* Francisci I filius, et laudati Joannis Galeatii patruus (39), quem inter caeteros Principes, qui nostram illustrarunt Civitatem, certe quidem commemorare fusius debeo, ut magis ac magis ejus animus erga Viglevanenses intelligatur.

Ludovicus itaque Viglevani est natus (40), et educatus, ac ibi plerumque commoratus; et utinam Viglevani mortuus esset: crudele enim fatum vitasset. Fuit hujus Urbis si non conditor, certe amplificator, et instaurator magnificus, ut inscriptiones, quae Viglevani, et in suburbiis de hoc Principe passim occurrunt, satis superque illius animi magnitudinem testantur. Plura enim egit, dum nepotis Joannis Galeatii tutoris, et patrui vocabulo rei summam administrabat: multa vero alia perfecit, postquam, mortuo nepote, Mediolanense arripuerat imperium sub nomine Ducis VII. In illud primum maxime incubuit Ludovicus, ut publicae Civium tranquillitati, et securitati prospiceret: quare munitissimam novam arcem a fundamentis, et non sine magno aere extruxit (41), atque in ejus meditulio genialem aulam erexit (42), curavitque, ut in ejus pariete pingeretur totius imago obsidionis, qua ejus Pater Viglevanum in deditionem acceperat (43).

Cum vero intestina simul, et externa mala quievisse viderentur, statim Viglevanensium utilitates, et dignitatem augere curavit: quapropter pluribus aquarum inductionibus ad ubertatem necessariis arentes eorum agros reddidit foecundos, ut inferius dicetur: et ut Viglevano majus conciliaret decus, cunctos feudorum possessores ad ibi aedes aedificandas est adhortatus (44): ipse vero ad eos magis magisque excitandos, dirutas veteribus domibus plateae circumjectis,

(38) Franciscus non solum Patri non successit, sed postmodum missus in Galliam, invitus Monachus in Burgundiae Provincia esse debuit, et cum venandi studio semper caperetur, in venatione equo decidit, vitamque amisit anno 1511. Moreri Diction. histor. verbo *Sforce*.

(39) Murator. *Annal. Ital.* ad ann. 1494, omnesque illius temp. Scriptor.

(40) Corios in *histor. Mediol.* init. par. VI haec refert: *L'anno quinquagesimo primo de mille quatrocento. E al terzo de Agosto che se celebrava la festivitate del Divo Stephaniano a Viglevano da Blancha Maria uno figliolo nacque a Francesco Sforza, il quale fu chiamato Ludovico, poi septimo Illustrissimo Duca di Milano.*

(41) Nova arx aedificata fuit in loco, ubi nunc adest Monasterium Virginum sub regula S. Clarae.

(42) MSS. Bibliothec. S. Ignatii.

(43) Simon Potenspof Sacchetiam, *Vig. ill.* p. 60.

(44) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 2

amplissimum, commodissimumque forum porticu fornicata, et plurimis columnis siliceis ornatum perbelle aedificavit; sic etiam vias rectas, et expeditas ad urbanum splendorem redegit. Insuper antiquas Ducales aedes, quae super clivum veluti insulam in medio urbis ubique eminentem constituunt, in ampliorem, elegantioremque formam reduxit; et novis circumaedificatis aedibus Principum commodo studuit: ad latus vero aedium Ducalium, et prope forum maximum a se ampliatum magnificam, praecelsamque turrim a magni nominis architecto Bramante (45) miro artificio delineatam construxit.

Haec omnia inscriptio in albo marmore supra turris portam posita satis ostendit.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA VICECOMES PRINC
IPATV IOANNI GALEACIO NEPOTI AB EXTERIS
ET INTESTINIS MOTIBVS STABILITO POSTEAQVA
SQVALLENTES AGROS VIGLEVANENSES IMMISSIS
FLVMINIBVS FERTILES FECIT AD VOLVPTVARIOS
SECESSVS IN HAC ARCE VETERES PRINCIPVM
EDES REFORMAVIT ET NOVIS CIRCVMEDIFICA
TIS SPECIOSA ETIAM TVRRI MVNIVIT POPV
LI QVOQVE HABITATIONES SITV ET SQVALORE
OCCVPATAS STRATIS ET EXPEDITIS PER VRBE
VIIS AD CIVILEM LAVTICIAM REDEGIT DIRRV
TIS ETIAM CIRCA FORVM VETERIBVS EDIFICI
IS AREAM AMPLIAVIT AC PORTICIBVS CIRCV
EVCTIS IN HAC SPECIEM EXORNAVIT
ANO A SALVTE CHRISTIANA NONAGESSIMO
SECVDO SVPRA MILLESIMV ET QVADRIGETESSIMV.

Ne vero quid Principum majestati, animique relaxationi deesset, Ducalibus aedibus amplissima equilia, et fornicatam porticum subnixam columnis siliceis fere biscentum ingenti sumptu adjecit, ut patet ex sequenti inscriptione marmore insculpta super equilium parta:

(45) Gaudentius Merula in Lib. *Rer. memorabil.* Lib. III, pag. 4

LVDOVICVS MAR. SFOR. VICEC. DIVOR. FRANCISCI ET MARIAE
BLANCAE F. BARI DVX NE QVID IN AMENISS. SECESSV
DESIDERETVR PVRPVRATIS EQVIS CARISS. NEPOTIS
IO. GALEACII DVCIS MLI. AB FVNDAMENTIS ABSOLVIT

Omnem praeterea animum, curamque convertit ad plura alia conficienda: etenim non procul a Viglevano insignem, amplissimamque Villam ab ejus cognomine Sfortiacam *la Sforzesca* nuncupatam construxit (46), ibique non modo Divo Antonio Abbati templum (47), aliasque aedes excitavit, verum etiam rusticorum habitacula, bubilia, horrea, foenilia, palearia, areas, sporothecas, cellas vinarias, et casearias, caeteraque necessaria abunde extruxit; et radicitus avulsa silva, amplissimum praedium copiosissimis, ac fructuosissimis arboribus sepsit (48); et plurimis aquarum inductionibus prata, agrosque foecundos reddidit. Hujus rei veritatem comprobat inscriptio marmore ibi sculpta ad angulum sinistrum Villam intrantis:

LVDOVICVS MARIA DIVI FRANCISCI SFORTIAE MEDIOLANEN
SIVM DVCIS FILIVS DIVI NEPOTIS TVTOR ET COPIAR. DVX SVPREMVS
PLANITIEM HANC AETERNA SITI ARENTEM SVPERINDVCTA LARGE
INGENTI SVMPTV AQVA AD FERTILITATEM SVO INGENIO TRADV
XIT VILLAQVE AMOENISSIMA A FVNDAMENTIS ERECTA LOCVM
SIBI POSTERISQVE COMMODAVIT ANNO SALVTIS MCCCCLXXXVI.

Hanc deinde villam, et praedium Religiosis Viris S. Dominici sub titulo S. Mariae Gratiarum Mediolani doctrina, sanctisque moribus universae Insubriae eorum concionibus tunc perutilibus munifice attribuit, ut constat ex solemnibus ejus Litteris Mediolani datis anno MCCCCXCVIII die III Decembris, quarum

(46) Villa Sfortiaca ab eruditissimo Hermolao Barbaro Veneto fuit his versibus celebrata, qui ibi marmore fuerunt incisi ad latus sinistrum Villam intrantis:

VILIS GLEBA FVI MODO SVM DITISSIMA TELLVS
CVR? QVIA SFORTIADVM ME PIA DEXTRA COLIT
MVTATA EST FACIES MVTAVI NOMINA VILIS
DICEBAR OLIM NVNC EGO SFORCIACA
LITTAVICTO AGROS COLIT NEC POENITET ESSE
AVCTOREM SACIS CONVENIT AGRICOLAM

(47) Ecclesia S. Antonii consecrata dein fuit anno 1563 die 21 Septembris a Julio Gafardo de Oppido Heriae, et suffrag. Episc. Novar. Verum cum vetustate collaberetur, ab iisdem fratribus Ord. Praedic. fuit anno 1741 eleganter instaurata, splendidius deinde exornata anno 1761.

(48) Macaneus in *Chorographia Verbani Lacus*, Lib. II, Cap. IX, et Leander Alberti in *descriptione Italiae*, ac Basilica Petri in *Novar.* pag. 334.

est initium: *Peculiari affectione, et observantia semper prosecuti sumus Religionem Fratrum S. Dominici etc.* (49).

Luculentissima tantae largitionis memoria olim extabat in Ecclesia memoratae Villae inscriptione marmore sculpta, quam pariter referre placet.

SERENISSIMI DVCES
LVDOVICVS MARIA ATQVE BEATRIX
AETERNAE BEATITVDINIS AMATORES
VT SIBI AD ILLAM OBTINENDAM
THESAVROS THESAVRIZARENT IN COELIS
TELLVRIS PRAEDIVITEM COPIAM
PROPRIO DECORATAM NOMINE
FRATRIBVS PRAEDICATORIBVS
ATQVE SVIS AD DEVM SEMPER ORATORIBVS
PIISSIMI DONAVERE
ANNO DOMINI MCCCCXCVIII DIE III DECEMBRIS

Progressu temporis praedicta inscriptio fuit deleta, et laudati Viri Religiosi munificentiam tanti Principis perennem reddidere hoc elogio aureis characteribus marmore inscripto prope aram maximam.

LVDOVICO . MARIAE . SFORTIAE
MEDIOLANENSIVM . DVCI . SEPTIMO
QVOD . PRAEDIVM
AB . EO . SFORTIANVM . NVNCVPATVM
AN . MCCCCXCVIII . DONO . DEDERIT
FRATRES . ORD . PRAEDICATORVM
S . MARIAE . GRATIAE . MEDIOLANI
AD . DEVM . PRO . TAM . MVNIFICO . LARGITORE
EIVSQVE . CONIVGE . BEATRICE
IVGITER . PRECANTES
G . A . M . L . P .
MDCCLXI

(49) Cum per id tempus in Monasterio Mediolanensi S. Mariae Gratiarum Vincentius Bandellus a Castro novo ad iriam Sacrae Dominicanae familiae regimini addictus summum floreret probitatis, et sapientiae commendatione, omnium Mediolanensium benevolentiam sibi adeo conciliavit, ut Ludovicus Maria Sfortia eumdem in moderatorem conscientiae suae delegerit, et nostrum ejus intuitu Templum S. Mariae Gratiarum a Duce Francisco Patre jam inchoatum, extructo gimnacolo, perfecerit praeterea alumnis Ord. Praedic. jam ibi degentibus dono donavit amplissimum praedium apud Viglevanum, quod ex largitoris nomine vernaculo nuncupatur *la Sforzesca*, nunc vero alendis in memorato Mediol. Coenobio religiosis Viris praecipuam reddituum partem constituit. Quapropter laudatus Vincentius Bandellus, qui deinde fuit Ordinis Praedicatorum Generalis Magister dignus visus fuit ab alumnis dicti Ordinis S. Mariae Gratiarum, cui sculpta in marmore effigie, inscri-

Tantis rerum curis distentus Ludovicus non omisit ea, quae ad Divinum cultum promovendum spectabant. Quare ut magis, ac magis pejerantes, et blasphemos insectaretur, templum S. Mariae Misericordiarum extra muros una cum Coenobio Religiosis Servis B. M. V. dein attributo excitavit (50), ut colligitur ex inscriptione marmorea, quae ibi prope aram maximam asservatur hisce verbis:

MATRI DEI MARIAE VIRGINI
HANC AEDEM CVM COENOBIO
A FVNDAMENTIS EXCITATAM
LVDOVICVS MARIA ANGLVS
MEDIOLANENSIVM DVX SEPTI
MVS ET OPTIMVS DEDICAVIT
MCCCCLXXXXV

ptoque aureis characteribus lapide, perpetuum conderetur monumentum, quod deinde fuit ablatum, et diversimode exaratum Argelati, Tom. 1, pag. 178. *

(50) Ex Archiv. Religiosor. Servorum B. M. eruitur ad ann. 1493 referendam esse originem Templi sub nomine S. Mariae Misericordiarum, et Coenobii, in quo ipsi inhabitant. Cum enim nonnulli ejusdem Ordinis Religiosi sacris eorum concionibus populi benevolentiam sibi conciliassent, Viglevanenses precibus quoque commoti P. Benedicti Veneti ejusdem Ordinis aream pro aedificando Templo, ac Coenobio aptissimam donarunt. Quamobrem idem P. Benedictus locum designatum adivit, fabricaque prius ad Viglevanenses concione, primum lapidem solemni ritu benedictum in fundamentis ibidem posuit. Aedificium autem hoc maxime promovit Ludovicus Maria Sfortia Dux Mediolani, quinimo eidem operi praeter alias, easque uberrimas oblationem, assignandam praecepit poenam pecuniariam, eamque gravissimam, qua blasphemos, et nefarios hujusmodi homines extremo insectatus mulctavit, sacra praesertim concione haud mediocriter permotus, qua B. Bernardinus Feltrensis Ordinis Minorum coram Duce ipso, ejusque conjuge Beatrice vitium blasphemiae hac in regione tunc familiarissimum aliquando objurgabat. Quapropter Ecclesia haec, cujus caeteroqui titulus est *S. Mariae de Misericordia*, dici vulgo coepit *S. Mariae de Blasphemia* quemadmodum ex ejusdem Coenobii monumentis educi fuimus: ac profecto in hujus rei testimonium positam ibidem publico cernere olim licuit sequentem inscriptionem

MATRI DEI MARIAE
HANC AEDEM CVM COENOBIO A FVNDAMENTIS MVLTATIONE
BLASPHEMANTIVM BLASPHEMANTIVMQVE EXCITAVAM LVDOVICVS
MARIA SFORTIA MEDIOLANENSIS DVX SEPTIMVS OPTIMVS DEDICAVIT
MCCCCXCV

Consequentibus tamen temporibus haec inscriptio, quae mulctationem declarat, deleta omnino fuit. Etsi vero Ludovicus Dux aedificium hoc plurimum promoverit, bellorum tamen incommodis, aliisque calamitatibus oppressus perficere non potuit: perfecit autem magnus Gallorum Marescallus Joannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani, ut ex stemmate ejus gentilitio, atque ex inscriptionibus in eodem Templo positis unicuique compertum est.

* Mediolani S. Mariae Gratiarum exstare Coenobio ampla I Sertinarum praelia ad nostrum Urbem Marchio Superiti memoratis sibi vindicat quae modo ei + Comiti Galla-Rasca ejus Nepoti, et haeredi Sarenere. Editores.

Non solum Viglevanum, et suburbia ad praesentem reduxit splendorem, verum etiam agriculturam, et fructuosas artes fovit, propagavitque egregie lanificium promovit, atque ad id facilius praestandum plurimas ex Hispania, atque ex Occitaniae Provincia pecudes adduxit, aedificia pro conficiendis pannis erexit. Cum vero prata, et arva siccitate, et aquarum inopia sterilescerent, ipse, impensa quidem magna effosso amplo, et longo alveo ab ejus cognomento Mauro *la Mora* appellato, aquas ex Sessite in agros Novariensem, et Viglevanensem deduxit (51); pari modo euripum *il Naviglio* jampridem sub Duce Philippo Maria Vicecomite a Viglevanensibus efformatum, quo aquae ex Ticini fluminae extrahuntur, amplavit, perfecit, et ad Sfortiacum praedium perduxit (52). Hisce aquarum inductionibus utilitas, quae hinc emanat, cuique patet, quin illam verbis complectar; profecto gloriam, magnitudinemque Ludovici, donec ipsae fluent, attestabuntur simul, et augebunt: ipse praeterea infinitas mororum plantas, unde bombyces aluntur, ex Vicentia, et Verona in agrum induxit Viglevanensem, ac homines peritos, qui colendi bombyces, opusque sericum conficiendi rationem docerent, accivit: qua ex arte bene exculta Viglevanenses quotannis multos percipient fructus, si suas varias merces ex serico manufactas in exteras regiones, et praecipue Germaniam transmittere pergent. Ipse Ludovicus demque (si malis artibus arreptum imperium bonis regere scivisset, et tam acerbe universam non irritasset Galliam), opes, splendoremque longe majorem Viglevano attulisset, pluraque alia ad civium commodum, ita ut nihil caeteris Insubriae civitatibus Viglevanenses inviderent, instituisset. Optandum sane foret, ut praestanti ejus ingenio caetera respondissent. etenim postremas tristes vitasset vicissitudines. In abuidione igitur Navariae anno MD die x Aprilis nefaria proditione captus fuit, atque in Galliam captivus deductus, et a Ludovico XII Gallorum Rege in arce Lochiensi *Loches* (53) inclusus reliquam vitam exegit. Obiit die XVII Maii anno MDVIII (54). Juvat hic referre ipsum virili prorsus omnino tantam

Memoratum Templum consecratum subinde fuit die 25 Aprilis anno 1508 ab Episcopo Salonen Julio Galardo suffrag. Cardinalis Friderici de S. Severino Episcopi Novarien. Postridie vero ejus diei ab eodem Salonensi Episcopo dedicata pariter fuit antiquissima S. Martini Ecclesia. *

* Anno 1777 B. M. V. ab Misericordia sedes posteras dicitur. Coenobium penitus venundatur.

Editores.

(51) Anno 1482.

(52) Brambilla, *Chiese di Vig.* pag. 180, et seq.

(53) Id Oppidum situm est in Toronibus, ut refert eruditus Petavius *in rationem temp.* Vol. I, ad ann. 1500.

(54) Bonelius in *Elencho familiar. Mediolanens.*, et Murator. ad ann. 1500, et 1508, Moreri in *Diction. hist.* Ludovicum Sfortiam supremum diem obiisse annunciat anno 1510.

pertulisse calamitatem, eamque veteribus delictis debitam humiliter agnovisse (55)

Post infortunium Ludovici Insubrum Ducis VII primus ex ejus liberis Maximilianus adeptus tandem anno MDXII Principatum Mediolanensem (56), eo sponte in gratiam Francisci I Gallorum Regis se exuit anno MDXV (57), et dominationi anteferens triginta millia nummos annuos (58), quos Ducatos vocant, nullius nominis vitam in Galliis duxit, ac finivit Lutetiae Parisiorum anno MDXXX. At Franciscus II alter Ludovici filius Dux fuit Mediolanensium IX, et ex Sfortiacis postremus. Apud Viglevanenses memoratu digna semper erit hujus Principis munificentia, et pietas. Ipse enim Viglevani natus est anno MCCCCXCIII (59), et inde eduatus, saepissime, et libentius Viglevanum coluit, familiariter inter

(55) Argelati, Tom. I, colum. 1383, et 1384.

(56) Brevi tempore, quo Principatum tenuit Mediolanensem Maximilianus Dux VIII solemnibus Litteris datis anno 1513, die III Septembris confirmavit Viglevanensibus quasdam immunitates jampridem a patre suo Ludovico concessas hisce verbis *Testimonium nobis reddunt Litterae felicis et recolendae memoriae Illustris olim Ducis Mediolani, Genitoris nostri, de fidelitate, ac amore erga Nos, et Statum nostrum, Communitatis, et hominum Viglevani, qui ex binis Litteris illustris eorum dominationis eos exemptos, ac penitus immunes fecit a solutione taxarum equorum propter magna opera supportata, et quae in dies supportantur maxime ex diminutione eorum dictae Communitatis ad ipsius olim Ducis commodum, et successorum facta*. Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 78

(57) Circa hunc tempore, eimirum ad ann. 1515 referendum est initium Monasterii Sororum Virginum sub nomine Deiparae Virginis Assumptae: sic colligimus ex cancellar. Puteo apud Brambillam *Chies. di Vig.* pag. 151, atque ex histor. dicti Monasterii pag. 7. Cum enim Viglevani nonnullae Sorores habitum de poenitentia gestantes jam viverent sub regula S. Dominici, piissima Viglevani Marchionissa Beatrix de Avalo uxor Ferdinandi II utriusque Siciliae Regis, et uxor magni Jacobi Trivultii, ad hoc ut ipsae in unum viverent collegium, domum eis attribuit, et sociis aliquibus Monialibus ejusdem Ordinis ex Mediolanensi Monasterio auxit, ut S. Dominici Institutum observarent. Inter has Virginum habitum de poenitentia gestantes floruit eo tempore vitae sanctitate, et asperitate B. Catherina de Ingeramis dicta *la Savina*, quae meritis plena postremam mortem obiit anno 1516 die 24 Maii, et maxima populi frequentia tumulata fuit in Templo S. Petri Mart. ad Sacellum S. Catharinae Senensis, hoc elogio:

HIC CATHERINA IACET QVAE NAM CATHERINA? SENENSIS
ORTAVE REGALI STEMMATE? RVTTRA IACET
QVAE NAM SOROR? TELLVS QVAM VIGLEVANA NOVAVIT
CVR NE BRAVA? DOCENT QVAE MODO SIGNA FACIT.
QVAE SVA VITA FVIT? CATHERINAE VITA SENENSIS.
IN COELIS QVID AGIT? LAVDAT ET ORAT ABI.
MDXVI OBI XXIV MAII

B. Catharinae sepulchrum instauratum postmodum fuit anno 1656 die 24 Maii: nuper vero, nempe anno 1788 die 14 Julii ejus exuviae (patientibus Religiosis Viris S. Petri Mart.) recognitae fuerunt a praestantissimo Episcopo Josepho Bottempo, eodemque in Sarcophago repositae, teste horum Commentariorum Scriptore.

(58) Moreri, *Diction. histor.* verbo *Sforz*.

(59) Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 131

cives versatus est, ac vixit. In maximis rebus, et publicis, et domesticis Viglevanensium opera est usus (60). Viglevanum tantum illi in amore, in deliciis fuit, ut, quantum ipsi licuit in tantis suarum rerum vicissitudinibus (61), hic sedem, hic ferme imperii regimen habuerit, et tandem pace cum Principibus composita, cum paternum assecutus esset imperium, statim Viglevano dignitatem, et splendorem conciliare studuit. Quid in Viglevanensium gratiam egerit, sequenti capite prolixius narrabitur. De caeteris Principibus, qui nostram illustrarunt Civitatem, juxta methodum chronologicam suo loco dicetur.

(60) Sacchetti, in *Encom. Vigl.* fol. 6.

(61) Cum enim exercitus Francisci I Gallorum Regis iterum atque iterum in Insubriam irrupisset, et suspiciones, ac simultates exortae fuissent anno 1525 inter Franciscum Sfortiam, et Caesarem Carolum V, res adeo turbatae fuerunt, ut summo Mediolanensium dolore Franciscus Sfortia avitum Principatum assequi constanter non potuerit, nisi post Bononiae pacem. Hisce perturbationibus, et frequentibus in Insubriam excursionibus Gallorum, et Hispanorum quis explicare poterit calamitates, quas Viglevanenses, finitimaeque regiones pertulerunt? Nunc a Gallico, modo a Caesareo exercitu bellum ferter, ita alterno inter se certantium impetu Galli milites, et Hispani cum aliis sibi adjunctis se ac vicissim una cum incolis, repetitis cladibus, lacerabant, et stipendiis quandoque carentes victum omni modo a populis extorquebant, sed etc crudelissime praedabantur. Vide quae narravimus sub fine Cap. I. Hujus rei memoria modo extat in Aula Palatii Civitatis, ubi ad latus depictae imaginis S. Joseph (cujus festum quotannis colere Viglevanenses tunc voverunt), in inscriptione nunc partim expuncta haec leguntur:

VENIENTES
HISPANI VT
VIGLEVANVM A
DITIONE GALLICA
CAPERENT
DEPOPVLATIONE
TIMENTIBVS OPPIDA
NIS VOTO DIVI
JOSEPH EO ANNVA
RVO CELEBRI
TATE SOLITO
COLITVR REVO
CATI SVNT
MDXXVI

Hisce infortuniis accedit teterrima pestilentiae calamitas, qua universa haec regio fuit acerbissime vastata anno praesertim 1524, ex eaque jam plura hominum millia jam miserrime interierant. Quapropter superstites Viglevanenses tanto perculsi flagello, ut Deum offensum placarent, quadam die memorati anni omnes in forum maximum convenerunt post auditam Missam ibi celebratam votum fecerunt recolendi quotannis Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., atque in ejus pervigilio jejunandi. Ecce ab omnibus, qui aderant, cum lacrymis voto, clementissimus Deus occurrit in precibus, atque a pestis flagello eos omnino liberavit. Haec omnia collecta fuerunt ex Archiv. antiquae Sodalitatis sub nomine Immaculatae Conceptionis B. M. V.

CAPUT III.

VIGLEVANUM CIVITATIS TITULO NOBILITATUR, EPISCOPATU, ET ECCLESIA CATHEDRALI, ALIISQUE PRIVILEGIIS ORNATUR

Postrema Mediolanensium Dux Franciscus II Sfortia Vicecomes, ut Viglevanensibus praeclarum suae in eosdem propensionis monumentum perpetuo relinqueret, post dirae pestis cessationem, quae anno praesertim MDXXIV, ut diximus, Insubriam pene universam miserandum in modum devastarat, et postquam ipse a tot, tantarumque bellorum turbine, (1) aliisque quamplurimis rerum vicissitudinibus conquiescere, immo verius respirare coeperat, conspicuo Viglevani Oppido, quod, teste historico Simoneta (2), caetera Lumellinae, et vicinae Oppida, ac municipia tum munitione, (3) et populi multitudine, (4) tum auctoritate, et opibus antecellebat, Civitatis titulo, et jure ornando, atque Episcopatu instituendo operam dedit.

(1) Ut ipsemet Dux loquitur initio Statut. Vigl pag 9

(2) In histor. de rebus gestis Sfortiae Francisci, lib. 18 apud Murator Tom XXI Rer. Italic. Script., column 542.

(3) Bernardus Sacrus in histor. Ticinen. Lib IV, cap. 3 haec habet: *Viglevanum petimus, cujus situs varietatem mirari licet. Novo suo ambitu clivum et planitiem occupat, patens forum in medio habet ornatum porticibus aedes regias in clivo eminent arx munitissima in promptu est populus patris studiosus mercaturam passim exercet, lanificio celeber, et aedificiorum apparatu longe celebrior.*

(4) Clemens VII in Diplomate institutionis Viglevanum vocat *Oppidum insigne, et notabile, ac plurium Praelatorum, Doctorum, et aliarum notabilium personarum, populique generositate refertum.*

Assentiente itaque Joanne Angelo Arcimboldo tunc Novariae Episcopo, (5) ex locis ab ea Ecclesia demptis, et separatis, instituta, atque efformata fuit exigua Viglevanensis Dioecesis, quae juxta praefati Ducis mentem ampliorem sortiri debebat extensionem, (6) si a reluctante Cardinali Antonio de Monte Papiae Episcopo aliqua de finitima ejus Dioecesi pars remissa tunc fuisset. Pro efformanda igitur nova Dioecesi praeter Viglevanum assignatae sunt duae Parochiae Dioecesis Novariensis, (7) una videlicet ex duabus Oppidi Gambolati, quae S. Gaudentii nomen habet (nam altera ad Papiensem pertinebat Ecclesiam); altera Mortariae, tunc S. Albini nomine, cum item ipsius Loci altera esset Dioecesis Papiensis.

Rebus sic compositis ad Divini cultus incrementum, et ad animarum salutem promovendam, Clemens VII clarae memoriae Pontifex Maximus suo Diplomate, quod incipit *Pro excellenti praeminentia Sedis Apostolicae*, Bononiae dato anno MDXXX die decima sexta Martii (8), Viglevanum amplissimis Episcopalis

(5) Archimboldus deinde anno 1550 translatus fuit ad Archiepiscopatum Mediolanensem

(6) Ut colligitur ex Archiv. Civitat. Viglevan. *

(7) Acta publica asservata in Archiv. Episcop. et Capitul., et histor. Eccles. Novariae script. ab Episc. a Basilica Petri Lib. 1, pag. 38

(8) Hoc loco animadvertendum est, Scriptores Sacchetum, *Vigev. illustr.* pag. 42, et Brambillam, *Chies. di Vig.* pag. 5, aliosque nostrum historicos asseruisse, Ecclesiam Viglevanensem institutam fuisse in Cathedralem anno 1529, ex eo quod solummodo Litteras, seu Bullam Clementis VII (quae est de institutione Ecclesiae Cathedralis Viglev.) datam esse Bononiae anno Incarnationis Dominicae 1529 decimo septimo Calendas Aprilis Pontificatus sui anno septimo. Attamen pace tantorum Virorum (quibus castemquin plurimum debeo), dico annum ad annum communem 1529, bene vero ad annum 1530 referendam esse Ecclesiae Cathedralis institutionem: etenim in Bullis ex stilo Curiae Romanae annus Incarnationis Dominicae non incipit a die Nativitatis Domini 25 Decembris, prout notat in Litteris brevibus, sed ab octavo Calendas Aprilis, quae est dies vigesima quinta Martii Annunciationis B. M. Virginis, et Incarnationis D. N. nostri. Ecclesia enim Romana ad Incarnatione Dominica potius, quam a creatione mundi, aut aliter, exorditur: unde, etsi memorata Bulla data sit anno 1529, cum tamen sit signata ante diem 25 Martii, nempe die 16 Martii, dicendum est, supradictum annum ad Incarnationem Domini fuisse 1529, juxta tamen computationem anni communis fuisse 1530. Accedit, quod secundum laudatos Scriptores memorata Bulla data est Bononiae 1529, atqui eo tempore juxta annum communem Pontifex Clemens Bononiae non erat, sed illuc tantummodo pervenerit exeunte mense Octobri, ibique usque ad dictum mensem Aprilis anni insequentis 1530 permansit una cum Augusto Carolo V Imperatore inaugurato; ergo sic insuper in Archiv. Civitatis habemus, Viglevani Oppidum Civitatis titulo nobilitatum fuisse, ejusque Ecclesiam S. Ambrosii in Cathedralem institutam die 16 Martii anno 1530, dum Bononiae commorabantur Clemens Papa VII, Carolus V Imperator, ac Franciscus II Sfortia Dux noster. Igitur ad annum communem 1530 referenda est Civitatis, et Ecclesiae Cathedralis institutio. Lege Covarruviam Tom. 2. *Resolut. variar.* Lib. 1, cap. 19, n. 1.

* Deinde Francisci II vero Sfortiae anno 1825, quo Papiensis Dioecesis Parochias complures citra Padum et Ticinum, et alteras Novariensis, sub Victorio Emmanuele R. consentiente Pio VII P. M. Viglevanensem ecclesiam amplificarunt. *Editores*

Civitatis honoribus auxit, et perantiquam ejusdem Ecclesiam sub invocatione S. Ambrosii olim Dioecesis Novariensis ex insigni Collegiali Ecclesia in Cathedralem instituit; atque in ea Pontificalem erexit Sedem cum omnibus praeeminentiis, privilegiis et juribus (9), quibus caeterae Ecclesiae Cathedrales de jure, vel consuetudine fruuntur. Insuper ex praedictis Paroeciis a Novariensis Ecclesiae jurisdictione exemptis auctoritate Apostolica Viglevanensem instituit Dioecesim, cui etiam eodem anno die prima Maii per alias solemnes Litteras Romae signatas perpetuo adjunxit commendatam Abbatiam S. Mariae de *Aqualonga* Dioecesis Ticinensis (10).

Haec, aliaque praestitit Summus Pontifex Clemens VII, ut votis satisfaceret religiosissimi Principis Francisci II, qui probe callens, summas esse, quae ex quotidiana Divinorum celebratione, divinisque Sacerdotii curis in populum Christianum proficiscuntur, utilitates, et commoda, ideo partem dotis ex propriis bonis mensae Episcopali assignavit; atque antiquum Ecclesiae majoris Collegium, quod jamdiu Praeposito, et septem Canonicis constabat, auxit diversis temporibus per publicas tabulas (11) quinque dignitatibus, nimirum Archipresbytero, Archidiacono, Decano, Cantore et Primicerio, ac quinque Canonicis; iisque alios addidit Ministros, videlicet duos Mansionarios, geminos Parochos, duos Levitas, totidem Æditos, duosque Custodes, atque octo Clericos; qui omnia Ecclesiae officia, ac munia exequerentur. Unde Templum maximum Episcopatu, et honestissimo Canonicorum Collegio, ac caeteris, qui usui forent, Ministris religiosa liberalitate ornavit, et spectabilem in eo exhibuit hierarchiam. In hoc autem Templo in Ecclesiam Cathedralem instituto, et erecto jam ab immemorabili aderant Praepositus, et septem Canonici, qui, ut fertur, sacrum munus diebus

(9) Ex Diplomate institutionis in Archiv. Capitul. asservato.

(10) Ex Diplomate Clementis VII in Archiv. Capitul. asservato, vide etiam hos nostros Commentarios in Galeatium Petram prim. Viglevan. Episc.

(11) Dux Franciscus per acta publica recepta a Notario Petro Bernadiglo instituit die 27 Junii anno 1529 Archipresbyterum, Archidiaconum, Decanum, et quinque Canonicos; eisque per alias tabulas subscriptas ab eodem Notario die 6 Decembris 1530 adjecit Cantorem unum, duos Mansionarios, duos Levitas, duos Æditos, duos Custodes, et octo Clericos. Insuper aliis Scripturis a Notario Parona confectis die 5 Novembris 1533 statuit Primicerium. Alios etiam introduxisset Ministros, si immatura praeceptus non fuisset morte. *

* An. 18[illegible] decreto Reipub. Cisalpinae R. Capitulum extinguitur [illegible] Paroco Archipresbitero, Canonicis VIII, Cantore, Caeremoniario, [illegible] Cappellanis compositum; [illegible] quotidie [illegible] CAROLI FELICIS Regis [illegible] tribus Dignitatibus scilicet Praeposito Archidiacono, Archipresbitero, [illegible] Canonicis [illegible] Mansionariis, et [illegible] Cappellanis. *Editores*

tantum festis absolvebant: attamen Capitulum, seu Collegium constituebant, et sua singuli habebant sacerdotia, seu praebendas, ut vocant, suosque proventus, quos tenues fuisse dignoscimus. siquidem Praepositura centum, et quinquaginta libellarum imperialium, et singuli Canonicatus quinquaginta valorem annuum non excedebant, non computatis tamen distributionibus. Inter alia porro antiquum jus habebant colligendi, exigendique in universo Viglevanensi Territorio tres secalis sextarios, vel duos tritici super singulo boum jugo, id quoque juris habebant super singulas Viglevani familias (12). Ipsi insuper de veteri, atque approbata, ac pacifice observata consuetudine jus nominationis, et praesentationis habebant tam ad Praeposituram, quam ad caeteros ejusdem Ecclesiae Canonicatus, quoties vacabant; ut apertam fidem faciunt Apostolicae Litterae Urbani VI Romae datae anno MCCCLXXXVIII die IV Novembris incipientes: *Laudabilia pietatis, ac virtutum merita* (13), et Clementis VII signatae anno MDXXIV die XXVI Augusti.

A Praeposito autem, et a septem antiquis Canonicis expresse consentientibus jus nominandi et praesentandi Duci Francisco renunciatum fuit. Quare veteris Collegii praebendae, redditus, et caetera emolumenta unita fuere cum bonis, et juribus, quae a laudato Fundatore assignata fuerant novis Beneficiariis a se institutis. et quemadmodum jus nominandi, et praesentandi tum Praepositum, et septem veteres Canonicos, tum novos a se institutos acquisivit, ita Canonicos omnes veteris, et novae fundationis tam ad percipiendos fructus, et proventus, quam ad alia jura et praerogativas, pares fecit (14).

Ut autem Episcopus non solum, verum etiam Canonici, et caeteri novae Ecclesiae Cathedralis Ministri decenter, et honeste vivere possent, piissimus Dux (15) mensae Episcopali dotem dixit trium millium libellarum imperialium quotannis percipiendarum ex ipsius bonis (fere tantundem in eam rem conferente primo Episcopo Galeatio Petra, nimirum praedia *Aquae longas, Vallis viridis, et Constantiae* nuncupata): Dignitatibus vero, Canonicis et caeteris Ministris in do-

(12) Ut colligitur ex actis publicis, et antiquis MSS. in tabulario Capitulari asservatis. Id autem juris fuit immutatum, et transactione habita per publicas scripturas receptas a Notario Stephano Petro anno 1533 die 13 Septembris consentiente fuit a Consilio generali, et pauperum nomine, et titulo decimarum Civitas singulis annis Sacrario Ecclesiae Cathedralis persolvit libellas 200 imperiales, quae modo quotannis solvuntur

(13) Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 21.

(14) Archiv. Episc., et Capitul.

(15) Ut constat ex act. publ. a Notario Petro Bernadiglo subscript. tum anno 1530 die 27 Junii, tum anno 1530 die 8 Decemb., et anno 1531 die 8 Maii.

tem assignavit tot proventus, quot explerent annuam summam novem millium libellarum imperialium, videlicet Praeposito sicuti primae post Pontificalem Dignitati quingentas, et quinquaginta annuas libellas attribuit, cuilibet obtinenti alias Dignitates quadringentas, singulis vero Canonicis, et Mansionariis tercentas; caeteris autem Ministris juxta eorum gradum propria signavit emolumenta (16), idest duobus Levitis centum nonaginta libellas pro singulo eorum, cuilibet ex duobus Parochis centum octoginta; et singulis octo Clericis decem, et octo atque ut magis magisque suae promoveret Ecclesiae decus, augeretque sacrorum Ministrorum numerum in quotidianis functionibus obeundis, ad participandos fructus mensae Capitularis admisit etiam novem Capellanos veteris fundationis de jure patronatus aliquarum familiarum, et cuilibet eorum octoginta annuas libellas concessit, dummodo Ecclesiae Cathedralis servitio assidue vacarent (17).

Ad percipiendos census, et proventus in fundatione donatos, atque in dotem constitutos tam Episcopo, quam Capitulo per publicas scripturas assignavit, concessitque Dux Franciscus in agro Viglevanensi bona, et jura amplissima praedii vulgo appellati *la Sforzesca*, hac tamen lege, et conditione, ut quotiescumque absque temporis praescriptione vel ipse, vel ejus haeredes Episcopo, et Capitulo alia bona contribuissent ejusdem valoris, et redditus, tenerentur Episcopus, et Capitulum permutationem facere, et liberum dimittere praedictum praedium *della Sforzesca*, et permutatio ipsa censeretur legitimo jure facta.

Hucusque peracta a Francisco Duce in statuenda Ecclesia Cathedrali confirmavit Pontifex Clemens VII, sicuti constat ex diversis Diplomatibus tum Bononiae, tum Romae datis (18), plurimum commendans piam ejusdem liberalitatem in dicenda dote non solum Episcopo, Dignitatibus, Canonicis, caeterisque Ministris ab eo institutis, verum etiam in augendis redditibus pro Praeposito, et septem aliis antiquis Canonicis. Quapropter laudatus Pontifex memorato Duci Francisco, ejusque successoribus quibuscumque perpetuo reservavit, et auctoritate apostolica concessit jus patronatus, facultatemque nominandi, praesentandique personas idoneas tum ad Episcopatum, cum ad omnes Dignitates, omnesque Cano-

(16) Ut eruitur ex authent. MSS. Archiv. Capitul., et ex allegation. typis in lucem editis.

(17) Acta publica Archiv. Capitul. Notatione dignum est, memoratos redditus tot Monetaria a fundatore assignatos praeter quotidianas distributiones, aestimato pecuniae illius temporis pretio, minime exiguos esse censendos.

(18) Vide potissimum duo diplomata Clementis VII primum datum Bononiae anno 1530 die 18 Mart., cujus init. *Pro excellenti praeeminentia* al-

nicatus tam novae, quam veteris fundationis, atque ad caetera beneficia ab eo instituta, quotiescumque, et quibusvis modis illa vacare contigerit, ac si illud jus eidem Duci ratione verae fundationis, seu plenae dotationis competeret, ut videre est in superius enunciatis diplomatibus.

Ex memoratis redditibus attributis ad honeste sustentandos tot viros in sortem Domini vocatos, pia Principis munificentia satis dignosci potest; sed voluit praeterea liberalis Dux primo Episcopo Galeatio, ejusque in Episcopatu successoribus attribuere, et concedere quasdam praefinitas domus Ecclesiae Cathedrali proximas pro constituendis aedibus Episcopalibus (19); Templum Cathedrale sacra munire supellectili, ejusque Ministros sacerdotalibus ornare vestibus, quibus tam Episcopus pro tempore existens, quam universus Clerus praedicto Templo mancipatus possent in Divinis laudibus celebrandis juxta solemnitatum dignitatem, et juxta quotidianum ritum sacras actiones decenter obire. Etenim ampla, et irrevocabili donatione inter vivos facta anno MDXXXIV sexto idus Martii (20), et signata in arce nova Civitatis Viglevani Ecclesiam Cathedralem pretiosa, et multiplici supellectili ditavit, peristromata, pictas tabulas, atque imagines praecellentium artificum affabre factas, ac peripetasmata eidem comparavit: aram maximam pluribus argenteis statuis, candelabris, sacris vasis opere vario magnifice elaboratis ornavit: sacrario insuper omnia pontificalia, et sacerdotalia indumenta secundum colores a Liturgia praescriptos, aliaque multa, ita ut nihil

terum signatum Romae anno 1531 die 22 Decembr., quod incipit: *Superna dispositione etc.*

(19) Aedes pro Episcopatus constructione prius spectabant ad Civitatem, quas ea Duci Francisco dedit, ut patet ex Archiv. Civitatis, ubi haec leguntur: *Immediate post introitum primi Episcopi Communitas Viglevani praesentavit praedicto Duci baxillam unam argenteam cum bursella, in qua erat charta donationis domuum pro aedificando Episcopatu.* Praefatae vero domus a Duce Francisco concessae fuerunt Episcopo Galeatio Petrae ejusque successoribus, ut constat ex solemnibus ejusdem Ducis Litteris signatis in Arce nova Viglevani die 14 Decemb. 1530 Archiv. Episc.

Dignum etiam censuit Dux Franciscus, haec sunt verba alterius diplomatis Cremonae dati die 28 Septembr. 1530, *ut memoratus Galeatius Episcopus Viglevanensium primus, et post eum caeteri Viglevanenses Episcopi insigne aliquod gerant quod hujusce pietatis ac liberalitatis nostrae memoriam apud posteros aboleri non permittat. Erunt igitur de caetero memorati Episcopatus insignia in quatuor partes secta, in quarum dextera superiore, et inferiore sinistra tres florentes sempervivi cespites depicti erunt cum subscripto hoc dicto* MITLAIT (col tempo) *in reliquis duabus arma ejus qui tum Episcopus reperietur cum mitra suppedia adstabunt.* Idem Archiv. Episc.

(20) Acta hujus donationis in charta pergamena scripta asservantur in Archiv. Episcop.*

* Ingens maximique pretii vas aureum ac argenti affabre sculptis in regias officinas militat Taurinum in ... hortante Rege adversantibus temporum calamitatibus potiora omnibus regni commoda, et locupletissimum habente R. Capitulo.

Editores.

desiderari posset pro rite habendis sacris functionibus, copiose contulit chorum etiam plurimis magnificis libris ex charta pergamena, auro, minio, aliisque coloribus eleganter conscriptis, et ad cantum, quem dicunt Gregorianum, aptissimis instruxit. Fusius haec omnia in publicis donationis actis describuntur a Notario Antonio Parona.

Praeterea ne quid suscepto deesset operi, die 11 Februarii MDXXXII suis Litteris in arce nova Viglevani datis concessit etiam Sacrario Ecclesiae Cathedralis, simul et octo Clericis a se in fundatione statutis portum (21), seu navem vectoriam super Ticini flumen in Viglevani territorio sitam, cum jure percipiendi in perpetuum ejus redditus, et proventus, hac lege apposita, ut dictis Clericis primum libellae quatuorcentum imperiales per Sacrarii administratores quotannis tribuantur; reliquum vero in opportunis Sacrarii sumptibus impendatur.

Beneficus Princeps summopere expetebat, ut fieret permutatio bonorum, et jurium, quae in dotem utrique assignaverat mensae, Episcopali nimirum, et Capitulari; atque ut ea quamprimum perficeretur, Hieronymo Brebiae Ducalis aerarii Praefecto mandavit, ut tot bona, seu praedia emeret, quorum redditus annuam duodecim millium libellarum imperialium summam explerent, eaque in dotem Episcopo, et Capitulo constituerentur ac substituerentur in locum praedii nuncupati *la Sforzesca*: oretenus tamen Brebiae mandatum dedit, ut memorata bona proprio emeret nomine, idque eo consilio, ut venditores facilius cum homine privato, quam cum Principe contraherent (22).

Brebia vero, ut jussa Ducis faceret, multa praedia in Lumellinae Provincia, atque alibi emit, et praecipue Castellum, ac jurisdictionem Zemidae, *Zeme*, Euripum (23), latifundia, aliaque jura acquisivit a quibusdam Dominis de Pergola,

(21) Portus cum solo juribus, seu navis vectoria super Ticini flumen apud Viglevanum jamdiu a Joanne Galeatio Vicecomite Mediolanensium Duce dono data fuerat Viglevanensibus die 23 Septemb. anno 1379 in compensationem damnorum ipsis infectorum. Hujus donationis acta existunt in Archiv. Civitat. A Viglevanensi postmodum Civitate die 17 Junii anno 1351 per publicam scripturam eum acquisivit Dux Franciscus II Sfortia hac conditione, videlicet quod, *non obstante praesenti instrumento venditionis homines incolae dictae Civitatis Viglevani et ejus territorii, cum eorum equis, plaustris et aliis rebus, quas contingat transire dictum flumen Ticini per dictum portum, sint, et esse debeant immunes, et exempti a solutione et pedagio dicti portus, prout etiam erant ante praesentem venditionem, ita tamen, quod in dicta exemptione non intelligantur, nec comprehendantur illi de Comitatu dictae Civitatis.* Tandem portus a laudato Duce Francisco fuit Sacrario Ecclesiae Cathedralis datus. Posterioris hujus donationis autographa extant in Archiv. Seminarii, ad quod nunc spectant memorati portus jura.

(22) MSS. et allegat. in Archiv. Capitul. asserv.

(23) *Euripus*, seu alveus nuncupatus primum *la Roggia Rizza*, quo aqua ex Sessitis flumine extra-

de Rotis, aliisque venditoribus. Dictum Castellum cum suo Comitatu, et praedio assignatum fuit Episcopo pro annua summa libellarum trium millium, vivente adhuc Duce, nempe anno MDXXXIII. Reliqua vero bona cum aquarum juribus assignata postmodum, et tributa fuere Capitulo anno MDXLIV, Insubriae imperante Caesare Carolo V, ut fusius suo loco dicetur. Hae omnia summatim descripta, et insculpta habentur in tabula marmorea ** posita ad perpetuam rei memoriam in Æde maxima prope solium Episcopale, quam hic exscribo.

MEMORABILE PIETATIS MONVMENTVM
FRANC. II SFORTIA INSVBRVM DVX ADSCRIPTIS AD IVS
CIVITATIS VIGLEVANENSIBVS OPPIDANIS AVCTORE
CLEMENTE VII. PONT. MAX. FANVM HOC NOBILE DONARIIS
ET SACRA SVPELLECTILE AVCTVM. DIVO AMBROSIO CON
SECRATVM AVSPICATO INCREMENTO DE PRIMI EPISCO.
GALEACII PETRÆ FIRMITATE ET LIBERALITATE QVI
COENOBIVM ET PRÆDIA AQVÆ LONGÆ. VALLIS VIRIDIS
ET CONSTANTIANA IN COMMVNE CONTVLIT. ADIECTIS
IPSE LATIFVNDIIS CVM INSIGNI OPPIDO REBIDA
GENTILICIVM PERENNE SACERDOTIVM IMPENSO
GRANDI ÆDE CONSTITVIT
IMP. CAROLVS V. CÆS. AVG. SFORTIÆ SVCCEDENS OPVS
PENE ABSOLVTVM ET COMPROBATVM EROGATA PECVNIA
PERFICI IVSSIT
CVRANTE HIER. ORÆBIA ÆRARIO QVLIS.
MOX CÆSARIS PRÆFECTO.

buuint derivanturque in Novariae, Viglevani, et Lumellinae Provincias, effossum fuit anno 1424 a Zanino de Rollia, et a Ludovico de Tizzonibus, jure ipsis concesso a generali Vercellarum Consilio tunc temporis memoratis dominis Domino, et deinde a Mediolani Ducibus confirmato. Cum autem anno 1488 alius accipus ab equitibus Birago, et Bilio novis sedem e flumine educendis aquis instrui effossus fuisset, supradictus accipus fuit cominatus la Roggia Rizzo-Birago. Post varias rerum vicissitudines Hieronymus Bilius Ducalis Aulicus (praemisso ea, quae juris erat, per publicas tabulas subscriptas tum a Notar. Benedicto Caserato et Nicolao Vignarca anno 1534 die 2 Octobris, tum ab eodem Vignarca, et a Philippo Carpano anno 1545 die 12 Aprilis vendidit tradiditque Hieronymo Brebiae Ducalis aerarii Praefecto plura bona, ac jura, et inter caetera memoratum accipum: qui una cum pluribus aliis juribus a Brebia acquisitis, auctoritate Caroli V Imperatoris, datus fuit Capitulo Eccles. Viglevanens. in dotem, et substitutus in locum praedii nuncupati la Sforzesca. Legatur histor. legal. Capitul. fol. 4. *

* Castylius Rusponibus dominis Zemidum in Lumellina praedia an. vel. prorum expoliavit. Edit.

** Haec tabula marmorea an. [illegible] parieti accomodata ad laevam latus januae templi maximi nunc illustrissime innitentis. Editores

Hisce in Viglevanensium favorem, et commodum peractis, nondum contentus benevolentissimus Dux, ratus minime aequum fore [24], ut Viglevanum Urbs esset ullo absque Comitatu; volensque propterea Loci sterilitati adjumentum afferre, rebus omnibus in summo Senatorum Mediolanensium consessu mature consultis, Viglevani Civitatem convenienti Comitatu, et jurisdictione auxit, eam in caput Provinciae instituendo, et assignando Comitatum, et jurisdictionem in Locis, seu Terris infrascriptis, videlicet Gambolato, Callavenia, Gravellona, Nicorvo, Rodobio, Palestro, Confientia, Vinzaho, Turriono, Villanova, Cassolo veteri et novo, ita ut memoratae Terrae, seu Loca agnoscere debeant in omnibus majorem Magistratum Viglevani, prout alia Loca aliis Civitatibus Mediolanensis Dominii supposita. Insuper alias immunitates, et privilegia novis civibus concessit, ac concessa confirmavit, uti videre est in amplo Diplomate [25] Viglevani signato die secunda Februarii anno MDXXXII. Ut autem tam in Civitate, quam in nova Provincia res publicae jure administrarentur, constitutiones municipales eodem anno condidit, quae, ut facilius ab omnibus cognoscerentur, in unum codicem collectae typis Mediolanensibus mandatae fuerunt [26].

Interea a Viglevano in Civitatem erecto, Pontifice, aliisque Ecclesiasticis dignitatibus donato, legibus municipalibus firmato, aliisque honoribus aucto summopere desiderabatur, ut Jurisconsultorum Collegium institueretur, ad quod appellationes a sententiis Praetoris devolverentur, atque hoc modo Cives Viglevanenses haberent Jurisperitos, qui de jure responsitarent, quique in causis patrocinium praestare, ac legibus eorum res, et corpora tueri possent [27]. Quamobrem, rite perpensis omnibus, ut Cives voti compotes fierent, ab ipso Duce per solemnes Litteras Viglevani datas die xx Februarii anno MDXXXIV Jurisperitorum Collegium fuit institutum. Non silendum praeterea sub idem fere tempus, anteaquam Carolus V Imperator sua illustraret Viglevanum praesentia, eumdem Franciscum aedes Ducales instaurasse, atque arci porticum columnis marmoreis, et picturis ornatam intus adjecisse [28].

(24) Quemadmodum loquitur ipsemet Dux in *Statut. Vigl.* pag. 12.

(25) Refertur laudatum Diploma in *Statut. Vigl.* secund. edit. pag. 12, et confirmatur pag. 290

(26) Duae editiones Constitutionum Viglevanensium Mediolani excusae fuerunt: prima vulgata fuit a Typographo Gotardo Pontico anno 1532 mense Octobr., altera vero a Jacobo Meda anno 1605. Secunda editio aucta fuit compendio nonnullorum privilegiorum in Civitatis favorem concessorum

(27) Statut. Vigl. pag. 251

(28) Sacchetti, *Vig. Illustr.* pag. 15, et 20

Post haec omnia nihil magis solertissimo Principi cordi fuit, quam ut Cathedrale Templum magna ex parte prae vetustate collabescens e fundamentis excitaretur, atque in ampliorem, et nobiliorem restitueretur formam. Quare, veteri demolita Ecclesia ad Divi Ambrosii honorem dicata, statim novi amplioris, elegantiorisque Templi constructionem suscepit. Verum dum hoc, multaque alia in publicum Viglevanensium commodum, et decus complere moliebatur (29), ac vix dum novae aedis maximae chorum perfecerat, ac majores tholi parastatas inchoarat, immatura morte die prima Novembris anno MDXXXV inter omnium moerorem, et fletum Mediolani praereptus fuit optimus Dux, cum annum ageret aetatis suae quadragesimum tertium. Quapropter imperfecta, quae coeperat, opera reliquit (30).

Plurima alia hic persequi liceret, sed cum Liber hicce meus statutam brevitatem jam excedere videatur, ad propositum veniam, et vitas, seu Commentarios Episcoporum, qui huic praefuerunt Ecclesiae, statim exponam.

(29) Inter caetera Canonicorum numerum augere moliebatur: ut ut ipsi Ecclesiae ministerio praesto esse possent, Canonicorum aedes construere cogitabat prope Ecclesiam Cathedralem in loco nunc appellato *il Seminario vecchio*, et ubi antiquitus extabat S. Andreae templum. Cancell. Puteus apud Brambillam, *Chies. di Vig.* pag. 82

(30) Idem Brambilla pag. 16

CAPUT IV.

DE GALEATIO PETRA

PRIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Comes Galeatius Petra ex familia primum apud Belgas, deinde apud Papienses clarissima, quae Apostolicae Sedi, et Ducibus praesertim Mediolanensibus plures praebuit viros, qui litteris, et armis floruere, et ecclesiasticis, civilibusque dignitatibus donati fuere. Ex hac gente anno quadringentesimo sexagesimo primo supra millesimum die secunda novembris patre Francisco Brunoro Petra Mediolani Senatore, matre vero Elisabeth Rubea ex Comitibus S. Secundi nobilibus conjugibus ortus est Papiae Galeatius (1). Is bonarum artium studiis apprime excultus legalibus disciplinis vacavit, et jurisprudentiae lauream adeptus, ac clericali militiae adscriptus Romae diu vixit in aula Principis Ascanii Sfortiae Cardinalis S. R. E. Procancellarii: ubi cum praeclarum probitatis, et ingenii specimen dedisset, Protonotarius Apostolicus, et Abbas Monasterii *Aquae-Longae* olim Ordinis Cisterciensis renunciatus est (2).

(1) Ughelli, *Ital. Sacr.* Tom. IV, pag. 820.

(2) Inter alia Monasteria Ordinis Cisterciensis dignitatem Abbatialem habentia fuit ab immemorabili tempore in Lomellinae Provincia Monasterium S. Mariae de *Aqua-longa*, olim Dioecesis Papiensis, et per unum Abbatem sive regularem, sive secularem in commendam obtineri solitum. Hanc ex concessione Apostolica diu tenuit Franciscus Piccolomineus Cardinalis Archiepiscopus Senensis, et tandem in manibus Summi Pontificis Alexandri VI renunciavit. Alexander vero eam contulit Galeatio Petrae, sed dum electionis diploma scribitur, Pontifex moritur. Attamen idem Cardinalis Piccolomineus, qui sub Pii III nomine Alexandro successerat, initio sui brevis Pontificatus viginti sex dierum nominationem ab suo deces-

Verum post multas Cardinalis Ascanii vicissitudines, et ejus mortem (3), in patriam reversus Galeatius inter Mediolanenses Senatores adscribitur: quo in munere tantam sibi promeruit apud omnes existimationem, ut Franciscus II Mediolanensium Dux eum sicut fidelissimum Consiliarium habuerit, eumdemque Clemens Papa VII ad laudati Ducis petitionem primum elixerit (cum primae nominationis jus tantum sibi servaverit) Viglevanensem Pontificem die XVI Martii anno MDXXX, ut patet ex autographis litteris Bononiae datis ad Viglevanensem populum incipientibus: *Hodie Ecclesiae vestrae Viglevanensis etc*

Cum autem annui census, seu proventus trium millium libellarum imperialium mensae Episcopali pro dote a memorato fundatore Duce assignati super bona Sfortiaca tenues essent, et dignitati Pontificali sustinendae non sufficerent, petente, et supplicante eodem electo Episcopo Galeatio, qui prius Abbatialem commendam S. Mariae de *Aqua-longa* Dioecesis Papiensis sponte dimiserat, laudatus Pontifex Clemens VII suo diplomate Romae dato die I Maii anno MDXXX incipiente. *Romanus Pontifex, cui Ecclesiarum omnium cura etc.* Apostolica auctoritate dictam vacantem Abbatis dignitatem S. Mariae de *Aqua-longa* olim Monacharum Cisterciensium, qui ob aedium vetustatem, et ruinam a Coenobio recesserant, mensae Episcopali Viglevanensi perpetuo adjunxit, ac incorporavit (4), *ita ut Episcopo Viglevanensi* (haec sunt verba Litterarum Apostolicarum) *qui pro tempore extiterit, eam Abbatiam s. Mariae de Aqua-longa, in spiritualibus, et temporalibus, ut inquiunt, regere, et gubernare, ejusque proventus, ac redditus libere apprehendere, ac retinere liceat* (5). Unde per hanc impetratam unionem electus Pan-

sore factam confirmavit, et sub Apostolicis Litteris Romae signatis anno 1505 die 8 Octobris dixit Galeatium Petrum Abbatem S. *Mariae de Aqua-longa*. Historice haec omnia habentur ex Apostolicis Litteris in Arch. Episc. asserv., et ex sommario causae inter commendatarium Galeatium de Petra, et nonnullos nobiles Papienses.

(3) Capto a Gallis apud Novariam Ludovico Sfortia Mediolanensium Duce, Cardinalis Ascanius ejus frater infelicius captus et ipse fuit a Venetis in Castello *Ricolta*, non procul a Civitate Placentina, et in Galliam ductus anno 1500. Chronicon Veneti apud Murator. *Rer. Italic. Scriptor.* Tom. XXI, et ejus annal. ad ann. 1500. Mox Romam reverti permissus Ascanius, ibi mortuus est sub Julio II ex pestilentiae morbo anno 1505, et in Ecclesia S. Mariae de populo sepultus. Ciaconius Tom. III, ubi recenset Cardinales a Sixto IV creatos in octava electione.

(4) Archiv. Capitul.

(5) *Praedacta, seu bona praefatae Abbatiae* (ut constat ex diplomate in Archivio Episcopali asservato), *ejusque conductores et inquilini* ex Caesareis diplomatibus tum Friderici III datis apud Agenoam octavo idus aprilis anno 1337, tum Henrici VII datis Mediolani quarto nonas Januarii anno 1311, atque ex Ducali Rescripto Francisci II Insubrum Ducis pariter Mediolani signato die 3 Januarii anno 1525 *Fruantur ampla privilegio, ac plena immunitate ab omnibus oneribus realibus, personalibus et mixtis, ordinariis, et extraordinariis, impositis et in posterum imponendis ex quolibet causa nec*

tifex Galeatius Cathedram suam ditiorem fecit, quinimo eidem etiam proprium *Vallis-viridis* praedium, atque illud nuncupatum *Constantiae* a Duce Francisco ipsi collatum pie, liberaliterque adjecit. ut constat ex inscriptione superius allata in capite III.

Sacerdos, et Episcopus consecratus Galeatius ad sibi concreditam Ecclesiam accessit. Liceat mihi hujus primi ingressus celebritatem breviter recensere. Die itaque ultima mensis novembris anno MDXXX pervenit ad Coenobium S. Mariae Gratiarum extra portam S. Martini, ibique moratus est ad diem usque sui solemnis ingressus in urbem. Similiter die prima Decembris, toties laudatus Dux Franciscus Viglevanum (quod semper in deliciis habuit) una cum suis Proceribus adventavit, ut navae Civitatis solemnus interesset. Cathedrale interim Templum, et forum maximum magnifico ornatu, suisque gentilitiis insignibus ipse Dux mandat illustrari. Die martis sexta Decembris, quae est vigilia S. Ambrosii tutelaris nostri, hora Vesperarum personuit in laetitiae argumentum omne ex cunctis turribus aes campanum, ut omnium civium gratulatione recipi primum nostrae Dioecesis Episcopum appareret; et obviam prodeunte universo Clero, ac piis sodalitatibus extra urbem, et praesentibus Proceribus, et Aulicis ipsius Ducis, ac magno equitum Mediolanensium comitatu, nec non Ecclesis, et Decurionibus Viglevanensibus, Protopastor noster e Coenobio S. Mariae Gratiarum secedens novam infulatus ingreditur Civitatem sub umbella, cujus hastae gestabantur ab equite Vespasiano Rothadmo Gubernatore, a Joanne de Pisonibus a Fontanelle Viglevani Praetore, et a duobus Civitatis Consulibus Ignatio de Cottis-Morandini, et Vincentio Bastia Bariolo.

Subsequebantur proxime illustres Legati Summi Pontificis, Regis Galliarum, Venetae Reipublicae, Ducis Ferrariae, ac Marchionis Montisferrati, qui Administri omnes cum solemni Caroli V Imperatoris inaugurationi, quae Bononiae per Coronae impositionem facta fuerat, interfuissent, a Duce Francisco invitati Viglevanum convenerant, ut fausti hujus diei laetitiae participarent (6). Cum

non ab omnibus vectigalibus, tributis equorum, ac portoriis etiam pro fructibus eorumdem bonorum venditis, vendendis, atque alio advehendis, jure tamen imperiali semper salvo. Amplissimae hujus concessionis a laudato Henrico Augusto Mediolani factae testes rogati fuerunt nobilissimi viri Amedeus V Comes Sabaudiae, Guido, et Henricus de Flandria, Valeranus de Lucemburgo frater ipsius Imperatoris, et alii plures Principes

(6) Hucusque narrata de ingressu Episcopi Galeatii in urbem desumpta fuerunt ex Archiv. Civitat., et Episcop.

vero inter varios triumphalis cantus, et omnis generis symphoniae musicos choros ad princeps Templum una cum nobili comitatu tandem devenisset Galeatius, ibi sacrae preces, et caerimoniae de more habitae fuerunt: indeque vesperis Pontificio ritu celebratis, Apostolicae Litterae, quibus plenaria concedebatur indulgentia, lectae fuerunt. Postridie vero, recurrente S. Ambrosii solemnitate, sacra omnia, quae eo die Episcopi sunt, munera rite obivit. Plurimi etiam e dissitis regionibus ad haec solemnia confluxerant: plaudebant omnium ordinum Cives, exultabat universus populus sacrae pompae magnificentia, omnesque in Principe Francisco, et novo Episcopo laetabantur. Sane festivissimae hujusce diei memoriam nulla unquam aetas delebit.

In ipso Pontificatus exordio primas componendae, ordinandaeque commissae Ecclesiae cogitationes, et curas ad Ecclesiasticorum hominum coetum contulit, quo nimirum sancte, riteque instituto, facile populus ad religionis, et pietatis officia revocatur. Quapropter, convocato prius novo Canonicorum Senatu, ut sacra mysteria ea, qua decet reverentia, a Ministris celebrarentur, et ut quisque Ecclesiae Cathedrali addictus suo fungi posset munere, una cum suis Canonicis efformavit, edixitque statuta Capitularia, seu Constitutiones, quas in unum codicem relatas non solum confirmavit Clemens VII suis Apostolicis Litteris incipientibus *Suscepti cura regiminis etc.* Romae datis anno MDXXXI die XXV Septembris; sed, ut executioni demandarentur, curam imposuit Episcopis Papiensi, et Novariensi: earundem quidem observationi adhuc jurejurando interposito sese adstringunt singuli Canonici, quando in Collegium cooptantur. *

Idem ipse Antistes ad mentem memorati Ducis fundatoris convocato iterum universo Capitulo die prima Junii anno MDXXXIII Urbem in tres Parochias, finibus assignatis, distribuit hac lege, ut cuilibet Christifideli, si libuerit, liceat ad Principalem Ecclesiam S. Ambrosii, propria etiam praetermissa Paroecia, pro recipiendis Sacramentis, eligendisque sepulturis accedere: atque ut in dicta Ecclesia majori teneantur Parochi divinis officiis assidue interesse, qui, si absint nulla legitima causa impediti, quotidianis distributionibus priventur (7).

Pari modo hoc loco commemoranda, laudandaque est alia constitutio ab Episcopo Galeatio edita ad constanter divinum cultum promovendum. Cum enim

(7) Acta erectionis Parochiarum.

* Hoc Canonicus modo [illegible] in codicem ab Ep. Jos. Francisco Toppia probatum, et exhibitum [illegible] VII Idus decembris [illegible]. *Editores.*

in Ecclesia Cathedrali tenues, et exiguae essent distributiones quotidianae, adeo ut Beneficiarii suis annuis emolumentis, quae praebendae appellantur, contenti residentiam tantopere a sacris Canonibus commendatam negligerent, ipse convocatis die v Martii anno MDXXXIII (8) in Episcopalem aulam cunctis Dignitatibus, Canonicis, Mansionariis, Levitis, et caeteris in eadem Ecclesia beneficia tunc obtinentibus, ne quo in parte divinus minueretur cultus, statuit sollicitus Praesul, decrevitque, singulis praedictis Beneficiariis assentientibus, atque approbantibus, ut omnes fructus, census, ac redditus cujusvis generis mensae Capitularis, qui Dignitatibus, Canonicis, aliisve Beneficiariis, et Residentibus obveniunt, in quotidianas distributiones, et portiones perpetuo convertantur, atque iis tantummodo per thesaurarium attribuantur, qui divinis Officiis, horisque Canonicis intersunt. statutum insuper fuit, ut justa legem, consuetudinemque eatenus observatam ex fructibus communibus mensae Capitularis Praepositus pro tempore existens centum, et quinquaginta libellas imperiales plus unaquaque alia Dignitate, singulae vero Dignitates centum plus unoquoque Canonico sacris functionibus assistendo quot annis lucrentur, ac percipiant Hoc modo in annuis redditibus distinguuntur Canonici a Dignitatibus Praebendae vero ratio haec fuit constituta, ut singulis Dignitatibus tres aurei, quos *Ducatos de Camera* vocant, singulis Canonicis, et Mansionariis duo; ac cuilibet Levitae unus aureus pro eorum Praebendis destinatis, etiam in eorum absentia a Viglevano, singulis annis solvantur, ac distribuantur. Ut autem haec perpetuis temporibus firmiter observarentur, per publicas tabulas conscriptas a Notario Antonio Parona sancita sunt, et deinde auctoritate Apostolica a Clemente VII approbata, Rescriptoque ipsius incipiente· *Creditam nobis desuper etc.* confirmata fuerunt die XXV Aprilis anno MDXXXIII.

Jam vero temporum ratio postulat, ut Augusti Caroli V Imperatoris adventum in hanc urbem referam, cujus praesentia Viglevanum fuit summopere illustratum (9) Is enim Mediolano egrediens Viglevanum per portam, quam Caesari-

(8) Acta Archiv. Capit.

(9) Alphonsus Ulloa in vita Caroli V Imperatoris, lib. III, pag. 118, refert laudatam Imperatorem Viglevanum venisse his verbis *L' Imperatore venendo dalla Lamagna nel 1533 venne a Mantova, dove si fermò poi passò in primavera a Bologna, e di là venne a Pavia per vedere quelle campagne, dove era stato rotto, e preso il Re Francesco (di Francia), e gli alloggiamenti, e le trincee, che erano ancor in piede, ed il Marchese del Vasto gli mostrava a una per una i luoghi, e gli raccontò il successo della battaglia. e si dilettava molto di queste cose. Andò poi a Milano, dove fu*

nam dicunt, una cum nobili comitatu venit die XIV Martii anno MDXXXIII, et in Castello, quod magnifice ornari jusserat Dux Franciscus, aliquibus diebus apud nos est commoratus. Ipse vero Caesar, seposita majestate, agros, et silvas Viglevanenses multiplici venatione, et maxima animi sui relaxatione peragravit, aliaque solatia grata, acceptaque habuit, affirmans (ut memoriae traditum fuit ab illius temporis scriptore Cancellario Puteo), se nullam in tot itineribus per longinquas nationes habitis nactum fuisse regionem tam jucundam, suoque ingenio tam consentaneam. Ea occasione singularis suae benevolentiae in Episcopum Galeatium, quem semper magni fecerat, perhonorificas exhibuit significationes, eoque intercedente, nonnulla beneficia, de quibus inferius agemus, Canonicis Viglevanensibus humanissime contulit.

In gratiam pariter hujus Episcopi piissimus Dux fundator praeter magnifica peripetasmata, aliaque plura, pergrandes etiam sex libros una cum missali, et duobus aliis pro canendis evangeliis, et sacris epistolis ex charta pergamena confectos, auro, minio, aliisque coloribus affabre fucatos, et notis pro cantu, quem dicunt Gregorianum, ornatos, Ecclesiae Cathedrali dono dedit. Ad eorum similitudinem quatuor alii libri ejusdem magnitudinis, et tenoris, jussu ipsius Galeatii, conscripti, et Sacrarii sumptibus postmodum absoluti fuerunt (10).

His, aliisque magni momenti rebus ad Ecclesiae Viglevanensis utilitatem statutis, Mediolanum profectus est Praesul Galeatius, ut ratione, et nomine suae Ecclesiae, ac mensae Episcopalis assisteret solemni bonorum permutationi, quam Dux Franciscus in novae Ecclesiae dote dicenda habere sibi reservaverat. Itaque coram Episcopo Novariensi Joanne Angelo Arcimboldo judice, ac delegato Apostolico publica habita fuerunt acta a Notario Joanne Petro Bernadigio, et per ipsa anno MDXXXIII die XVIII Junii vice, et loco bonorum, ac jurium a Duce Fundatore assignatorum mensae Episcopali in praedio dicto *la Sforzesca* pro annuo reddito libellarum trium millium imperialium Episcopo Galeatio rite acceptanti, et stipulanti datum, atque attributum fuit a Hieronymo de Matiis Praeposito S. Mariae a Scala, ac speciali laudati Ducis Procuratore Castrum Oppidi

gratamente accolto dal Duca Francesco Sforza nel Castello, e poi passando il Ticino si fermò alquanto in Vigevano attendendo alle caccie, finchè per lettere del Principe Doria fu avvisato, che l'armata era in pronto, ed allora se ne andò a Genova. De adventu Caroli V sermonem faciunt Sacchetti, *Vig. illustr.* pag. 13, et Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 9, et Arch. Civit.

(10) Memorati libri emendati deinceps, correctique fuerunt a Cantore Joanne Ferraris anno 1657 novissime vero dolatis iis, quae ad cantum inutilia videbantur, ad breviores notas sunt redacti.

Zemilae cum ejus Comitatu, bonis, juribus, ac caeteris praerogativis feudalibus in scheda descriptis (11).

Viglevanum reversus Antistes Galeatius ad res Ecclesiae suae optime componendas omnem cogitationem, et curam convertit. Quare ad novam Dioecesim invisendam, quam primum potuit, se contulit, et prudenter ad publicum, et spirituale bonum leges, et decreta constituit. Erat curae suae sedulo hortari Clerum, ut mundanas contemneret opes, quibus nil asserebat validius esse labefactandae Sacerdotum integritati (12). Ipse vero praecipuum praebuit exemplum. Etenim mensae Episcopali praedia *Vallis viridis, et Constantiae* nuncupata pia liberalitate contulit, Pontificales aedes inchoavit, eisque viridarium adjecit (13); miseros in eorum egestate sublevavit; sedilia Chori Ecclesiae Cathedralis construxit, Aram maximam Fani majoris consecravit, procurantibus, et praesentibus eadem Duce Francisco, ac ejus Conjuge Christierna Regis Daniae filia, et Caroli V Imperatoris nepte (14).

Indefessus Pastor etsi aetate provectus solemnibus interesse voluit parentalibus Ducis Francisci II Mediolani vita functi Calendis Novembris anno MDXXXV. Eo ferme tempore cum Christophorus de Rodulphis, ob suam magnam in pauperes Viglevanenses pietatem, erexisset in propria suae habitationis domo locum pium Charitatis, eumque per testamentarias tabulas omnibus bonis haeredem instituisset, onere imposito, ut juxta redditus certa panis, et pecuniae

(11) Archiv. Episcop.

(12) Id refert Gaudentius Merula in suo opere *Rerum memorabil.*

(13) De Episcopatu viglevanensi Bernardum Sacconum, qui lib. IV, cap. III Histor. Vigl. haec habet: *Viglevanum in Episcopali domo elegantissimum habet viridarium fonte, seu piscina in centro ejus per aquaeductum manante, fructibusque insigni ordine consitum Galeatii Petrae Ticinensis Patritii studio, qui primus illius Ecclesiae Episcopus fuit, et vitae diuturnitate, ac salubritate omnibus aequalibus antecessit.*

Attamen distinguendum est viridarium atriduum ab amplo horto extra urbem consito a Duce Ludovico Maria Sfortia magnifice tunc temporis instructo ad Sfortiadorum Principum solatium, ac deinde ab ejus filio Francisco Episcopis Viglevanensibus attributo. Archiv. Episcop.

(14) Augusta Christierna, celebratis Mediolani cum Duce Francisco solemnibus nuptiis ineunte Majo anno 1534, quibus vix festos convenerunt (ut refert Antonius Campus in historia Rerum Mediolanensium pag. 156) Cardinalis Mantuae Hercules Gonzaga, Episcopus Veralanus Nuncius Apostolicus, et Galeatius Petra Episcopus Viglevanensis, eodem mense Viglevanum primum advenit cum nobili comitatu. Nihil in hoc adventu desideratum fuit, quod Civium laetitiam exprimeret: inter caetera enim universi Cives in reverentiae significationem candidas vestes ea conditio gestantes, splendidissimo equorum, et pedisequorum famulatu, obviam processerunt Augustae Christiernae, eamque solemni pompa sub argentea umbella in Urbem deduxerunt arcubus triumphalibus, aliisque quampluribus monumentis decoratam. Archiv. Civitat.

quantitas egenis quotannis distribueretur, Praesul Galeatius Mediolano Viglevanum reversus annuit, ut juxta testatoris mentem praedicta domus vocaretur titulo *Domus Charitatis pauperum Christi* (15).

Inter pastoralis sollicitudinis curas Galeatio quammaxime cordi fuit, ut bona, et jura empta, et acquisita in territorio *Zemidae*, et in aliis regionibus per regium Thesaurarium Hieronymum Brebiam praesenti pecunia integre solverentur, antequam Capitulo Viglevanensi tribuerentur, et substituerentur in locum praedii dicti *la Sforzesca* juxta mentem Ducis Fundatoris. Quod ut fieret, ipse cum suis Canonicis reiteratas Carolo v Imperatori Cremonae tunc commoranti porrexit preces, quibus tandem benigne annuit Caesarea Majestas, mandavitque propterea Cardinali Marino Caracciolo tunc ejusdem Imperatoris nomine Insubriae Gubernatori, ac supradicto Brebiae, ut ex regio aerario assumerent aureos octo mille, quos creditoribus solverent, et alios quatuor mille pro aptandis, meliorandisque bonis, ac conducendis aquis (16): qua pecuniae summa per dictos Cardinalem, et Brebiam soluta, ipse Caesar regia plane munificentia ad amplissimum Mediolanensem Senatum Litteras dedit die 11 Junii anno MDXLIV, ut fieret dictorum bonorum translatio in laudatos Canonicos. Quare Senatus pro executione Litterarum imperialium delegit Senatorem Paulum Arrigonum, qui Caesaris nomine dicta bona transferret cum debitis promissionibus in laudatum Capitulum, ad effectum etiam redimendi, ac liberandi possessionem, et jura Sfortiaci praedii.

Die igitur septima decima Decembris anno MDXLIV per publicum instrumentum a Notario Petro Bernadigio Mediolani confectum, et coram Joanne Angelo Arcimboldo Episcopo Novariensi Commissario, et Apostolico Judice ad hoc delegato praefatus Senator Arrigonus nomine Caesareae Majestatis in locum praedii dicti *la Sforzesca* a Duce Francisco Fundatore assignati in dotem mensae Capitulari Ecclesiae Viglevanensis substituit, et subrogavit nonnulla praedia, pos-

(15) Archiv Cancell. Episc.

(16) Summa quatuor millium aureorum ab imperialis aerarii Ministris soluta Capitulo pro aptando, et meliorando *Zemidae* praedio occasionem praebuit Episcopo Galeatio Item agendi adversus suos Canonicos, atque ab eis petendi dictorum aureorum partem pro aptandis quoque ejus bonis, quae it laesa esse contendebat, quandoquidem ex eis annuam trium millium libellarum summam percipere non valebat, aliaque jura praemisit apud Marchionem Vastyensis Mediolani Moderatorem. Verum controversia fuit postmodum composita, et omnis anno 1546 die 14 Julii per transactionem fuere concordata. Legatur histor. Legal. Archiv. Capitul. fol. 45, et allegat. pro Capit. Vigl.

sessiones, Euripum *la Rizza-Braga* nuncupatum, atque alia bona (17) per Breblam acquisita in territorio *Zemulae*, et in aliis locis, eaque, promissione de evictione, attribuit, ac tradidit Canonico Angelo de Sguarlatis, qui uti procurator mensae Capitularis permutationem, et substitutionem recepit cum debitis clausulis, et dummodo ex bonis suppositis percipi quotannis possent libellae novem mille imperiales in fundatione constitutae (18).

Ut religionis bonum, animarumque salutem magis magisque promoveret Propastor Galeatius indulgentiam XL dierum concessit singulis S. Dionysii Sodalibus, qui divinis assisterent Officiis (19). Hujus Sodalitii origo penitus ignoratur (20): approbavit, et confirmavit regulas, et statuta Sodalitatis S. Christophori, indulgentias ei attribuendo. Haec Societas una cum Ecclesia auctoritate Doctoris Calenutii tunc Vicarii generalis Episcopi Novariensis erecta fuit anno MDXXIV ab aliquibus piis viris Viglevanensibus, ut offensum placarent Deum, obtinerentque liberationem a dira peste, quae eodem anno mensibus praesertim Aprilis, et Maii plura hominum millia miserandum in modum abstulerat. Ejus Sodales habitu nigri coloris primum utebantur, per aggregationem vero ad Sodalitium sanctissimae Trinitatis de alma Urbe anno MDLXXXIV colorem nigrum in rubrum

(17) Memoratis bonis, seu praedia per thesaurarium Brebiam acquisita pecunia Ducis Francisci II Sfortiae, et assensu Caroli V Imperatoris, atque in dotem assignata Episcopo, ac Canonicis Ecclesiae Cathedralis pro permutatione praedii Sfortesi, cui Dux Joannes Galeatius Sfortia anno 1406 munerum immunitatem jam dederat, idem Carolus V semper Augustus, intellectis piis Mediolani Senatus rationibus super dicta immunitate adfactis, *concessit, indulsitque plenam exemptionem, ac immunitatem ab omnibus oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis quocumque nomine nuncupentur* etc., ut patet ex amplissimo ejusdem Imperatoris diplomate Vormatiae signato die 20 Julii anno 1545, cujus mi initium: *Recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium universis* etc. Diploma autem fuit a Mediolani Senatu confirmatum die 28 Martii anno 1548. Litteris h copiosi hus *Effluxerat praefixum tempus ex ordinibus statutum* etc.

(18) Archiv. Episc., et Capitul.

(19) Archiv. Sodalitat. S. Dionysii.

(20) Ex quodam testamento, seu legato die 7 Augusti anno 1323 subscripto a Notario de Gombalò in favorem Sodalitatis S. Dionysii hisce verbis expresso *Fratri Bregondo de Grandona Rectori et Ministro Ordinis Fratrum S. Dionysii de Viglevano recipienti et vice dictorum Fratrum paupertatis* etc., atque ex aliis antiquis MSS. conjicitur, hujus sodalitatis institutionem referendam esse ad saeculum XIII, quo populi, et poenitentia, et sevlorum expiatione Deum placarent, facto agmine, et praelatis vexillis, ad vicinos oppida, et urbes, et castra procedebant, omnesque ad poenitentiae Sacramentum, et ad verberationem excedebant, indeque Sodalitium disciplinatorum factae, et ita appellatae ob verberum disciplinam; atque hoc initio sacrae Laicorum Sodalitates ad divinas laudes celebrandas fuerunt institutae. Legatur Sigon. in *De Regno Italiae* Lib. XVII, ann. 1233, et Muratori *Delle Antichità Italiane*, Lib. III, dissert. 75 *Delle Pie Confraternità dei Laici* pag. 502.

mutarunt (21). Instituit pariter Galeatius anno MDXXXIX Sodalitatem S. Mariae Magdalenae habitum leucopheatum sociis attribuendo (22). In Ecclesiam quoque Cathedralem orationem quamdam induxit quadraginta horarum, sed ab ea diversam, quae nunc in usu est (23). Plurimum egit, effecitque, ut in aede maxima prope solium Episcopale tumularentur praecordia, cerebrum, et cor insignis Alphonsi Avalos de Aquino Marchionis Vastiaymonis, qui extremum vitae suae curriculum Viglevani confecerat die XXXI Martii anno MDXLVI (24). Egregius hic Marchio licet esset Caroli V Caesaris Vicarius, et pro eo Insubriae imperium gereret, saepissime tamen Viglevanum veniebat; et adeo hac urbe oblectabatur, ut ibi quandoque jura daret. Ibidem non solum conscientiae suae judicem, et vitae moderatorem elegit Michaelem Ghislerium Ordinis Praedicatorum (25), sed eleemosynarum etiam, quas egentibus erogare consueverat, eum sibi ministrum esse voluit; ipsoque hortatore munificus Marchio pro sua singulari in pauperes Viglevanenses charitate sacrum pietatis montem instituit anno MDXL, eique constitutiones praescripsit (26).

Quoniam vero superius de Michaele Ghislerio mentionem obiter fecimus, liceat mihi hoc loco parumper a proposito digredi, et referre amplissimos honores, quibus nostram ipse decoravit urbem. Ghislerius itaque in Viglevanense divi Petri martyris Coenobio, et piorum Sodalium frequentia, et duriore vitae genere, et litterarum praeterea studiis per eos dies admodum celebri Dominicanum institutum professus est (27), ibique bis praefuit, annis nimirum MDXXXVII, et MDXLIII; cum autem ad Divi Petri Cathedram, assumpto Pii V nomine, evectus fuisset, Viglevanenses Paulum Toscanum Virum doctrina, et morum integritate ornatum Legatum ad eum gratulationis causa miserunt, qui, renovata jucundissima hujus Civitatis memoria, non modo Legatum perhumaniter excepit, et Civibus Viglevanensibus rescripsit (28); verum etiam eumdem Legatum post-

(21) Archiv. Sodalitat. S. Christophori *

(22) Archiv. Sodalitat. S. Mariae Magdalenae **

(23) Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 30

(24) In Mediolani urbem fuit translatum corpus Alphonsi Davali Vastibii, eique veluti Reipublicae Parenti solemnem funus dixere Cives. Ripamontius Decad. III, Lib. X, pag. 725

* An. 1808 D. Christophori aedes fuso addicitur: Sodalitium in D. Petri M. aeclia modo aperatur. *Editores*

** An. 1801 aedes S. Mariae Magdalenae publicis inscriptitas tabulis, Sodalitium in D. Francisci templum concedit. *Editores.*

(25) Gabutius in *Vita S. Pii* V, Lib. I, Cap. I, pag. 7

(26) Archiv. Montis Pietatis, et Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 85.

(27) Gabutius, in *Vita S. Pii* V, Lib. I, Cap. I, pag. 6, et Archiv. S. Petri Mart.

(28) Ipsissimum responsi exemplum, quod modo in Archiv. Civitat. asservatur, hic exscribo. *Ornatissimi Viri Dici non potest quam sit omnibus*

modum Fulginii Gubernatorem creavit, ac nostram prerogativis Civitatem decoravit (29), et antiquum S. Petri martyris Monasterium plurimis auxit beneficiis (30). Hic porro animadvertere juvat, inter tot orbis terrarum Coenobia solummodo Viglevanense Dominicanum Monasterium gloriari merito posse, quod universae dederit Ecclesiae Maximum Pontificem progressu temporis inter Sanctos solemni ritu relatum.

Hisce breviter de Michaele Ghislerio, seu Pio V Pontifice Maximo dictis, ad rem nostram redeamus. Galeatius itaque, postquam pastorali prorsus sollicitudine per annos amplius viginti duos Ecclesiam suam rexisset, eamque prima veluti petra legibus, et exemplo bene firmasset, die XXVII Octobris anno senio confectus obiit, annum agens aetatis suae nonagesimum primum, atque

in ac vestris officiis delectatus Sanctissimus Dominus noster. Etenim illius incuntis aetatis studiorum ac praeteritarum rerum omnium memoriam jucundissimam renovari, quam quidem ille nunquam intermori sinet, immo vero suis omnibus beneficiis, quoad ejus fieri poterit, semper excultam atque exornatam conservabit. Itaque Civitatis vestrae nomine nihil illi gratius, nihil amantius. Singulos vero Cives vestros tanquam dulcissimos filios summe diligit. Quare Jo. Jacobum Toccanum, virum optimum, legatum ad se vestrum, liberalitate valde oratoremque apud se vestrum omnium nomine eum locutum habuit, vehementer probavit. Igitur cum multae causae sint, cur illi vos amet, earumque sit idem omnium omnino immemor, de perpetua illius voluntate erga vos, nec unquam dubitare debetis, et sperare omnia, quae a vestri amantissimo proficisci possunt. Ornatissimi Viri, incolumes vos, et Civitatem vestram rebus omnibus florentem Christus Dominus noster tueatur omnipotens. Dat. Romae die primo Maii MDLXVI. Subscript. Uti Frater Cardinalis Alexandrinus. Inscript. Alli molto Magnifici come fratelli li Consuli, e Deputati al reggimento della Città di Vigevano.

(29) Ad publicam patriae nostrae utilitatem, et commodum S. Pius V diplomate Romae dato anno 1569 quinto Idus Januarii incipiente *Copiosus in Misericordia Dominus* perpetuum concessit jus Civibus Viglevanensibus, ut ex eis duo deligerentur adolescentes rei litterariae laborantes ad hoc, ut in magnifico Papiae collegio (quod Ghislieriorum appellant), ab ipso constituto pro alendis viginti quatuor adolescentibus pie educandis, et bonarum artium studiis operam darent. Hoc eodem beneficio, et jure nunc Viglevanenses Cives per Regiam munificentiam ab anno 1781 fruuntur in Taurinensi Provinciarum Collegio, succedentibus in haereditatem juribus, quorum intererat *

(30) S. Pius V per suum diploma Romae signatum apud S. Petrum anno 1567 quarto Calendas Augusti, quod incipit: *Ad totius militantis Ecclesiae gubernacula*, egenam Religiosorum Dominicanorum egestati subveniret, possessionem nuncupatam *Della Toranea* in Lumellinae territorio sitam, quae ad praeceptoriam domum S. Antonii Sargi Tituli pertinebat, cum omnibus suis juribus, emolumentis concessit, dedit que Coenobio S. Petri martyris Ordinis Praedicatorum Viglevani. Praeterea subsequenti anno 1568 Calendis Octobris alio diplomate Romae pariter dato, cujus est initium: *Ex incumbenti Nobis Apostolicae servitutis officio*, vacantem Praepositurum Ecclesiae S. Petri *Loci de Cillavegna* cum cura animarum et cum omnibus suis fructibus, et juribus perpetuo annexuit, et incorporavit domui, quam in dicto loco de *Cillavegna* habebant Fratres S. Petri m. Ordinis Praedicatorum Viglevani, in eaque jampridem aliquos ejusdem Ordinis Sacerdotes inhabitare consueverat tum pro sacris audiendis confessionibus, quam pro alio ipsius Praepositurae munus obeundo.

* Diploma in Collegio Ghislerii ab Pont. Max. Pio V grato constitutae mdes pro Viglevanensibus adsumendi an. ... indagare

Ed. loret

7

ab ejus nepote Mauritio Petra, qui jam duodecim ab hinc annis suo Patruo datus fuerat in Episcopatu adjutor, et successor, justis solemniter persolutis, sepultus fuit sub mausoleo a se, dum viveret, constructo in Æde maxima adversus solium Episcopale, hac epigraphe marmore inscripta:

GALEACIUS PETRA
DUCAL. PRIMO MOX CAES.
SENAT. CO. AC VIGLEVANI
PONTIFEX PRIMUS
COMMUNIS NECESSITATIS
MEMOR HUNC TUMULUM
V. S. F. C.
VIXIT ANN. XC. MEN. XI. DI. XXV.

CAPUT V.

DE MAURITIO PETRA

SECUNDO VIGLEVANI EPISCOPO

Mauritius Petra nobilis Papiensis, Comes Silvani, et Galeatii primi Viglevanensis Episcopi, de quo supra scripsimus, nepos a fratre (1). Ipse anno MDXIV die XXI Septembris (2) in arce Cremonae Francisco Brunoro Petra magno Mediolanensium Ducum Cubiculario, et ejusdem arcis Praefecto, ac Catharina Blanca Stampa nobilibus parentibus est ortus Exacta in liberalibus disciplinis addiscendis pueritia, cum patrem sibi morte rapi vidisset anno MDXXVIII, in Ducis Ferrariensis aulam se contulit, ubi inter honorarios Principis ephebos adscriptus quinquennio moratus est. Dein per biennium Francisci II Sfortiae militum dux fuit; et vigesimum sextum aetatis suae annum agens a Carolo V Imperatore ad majora militiae munera est evectus.

Verum dum amplissimis militiae muneribus vacat, Deo sic disponente, abdicatis militaribus honoribus, et armis, ad ecclesiasticam disciplinam se convertit; et paullo post viventi adhuc patruo Galeatio curis, atque aetate fesso ipse debitis modis suffectus est secundus Viglevanensis Episcopus anno MDXL; et mox in amplissimum Senatorum Mediolanensium Collegium, ut mos ejus temporis

(1) Stemma Familiae de Petra.

(2) Ughelli, Tom. IV, Colum. 820, et inscription a Brambilla relat. pag. 78, Chies di Vig

erat (3), cooptatus, et utriusque Romanae Signaturae Referendarius renunciatus in publicum bonum sedulam contulit operam. Post patrui obitum prima sua Pontificalia exercuit Calendis Novembris anno MDLIV, et ecclesiasticis curis intentus, speciali sua chirographo Silvani dato, delegit Melchiorem Cribellum Episcopum Thagastensem ad consecrandum Templum S. Gaudentii Oppidi Gambolati Dioecesis Viglevanensis: quam sacram actionem delegatus Antistes solemni ritu deinde peregit die Dominica secunda Aprilis anno MDLVI (4).

Ut erat Episcopi munus, interfuit Praesul Mauritius una cum Theologo Antonio de Grosupto Ordinis Praedicatorum (5) sacrosancto Tridentino Concilio, quod tunc temporis habebatur, et inter Episcopos a Paulo III electus in Synodi sessionibus res gravissimas summa cum Patrum admiratione tractavit, et posthabitis omnino humanis rationibus, quidquid secundum Deum sibi esse videretur, libere pronunciavit.

E venerabili Tridentino Senatu in suam Dioecesim cum rediisset, nihil magis cordi habuit, quam ut generalis Concilii constitutiones universo populo sibi commisso notas faceret, earumque curaret observationem. Quapropter varios sustulit abusus, optimam vivendi formam praescripsit, Urbem, et Dioecesim, etsi frequentibus hostium incursionibus, et longo, ac duro militum sociorum hospitio tunc vexatam impavide invisit: atque in diutino ejusdem regimine pro sustinendis Ecclesiae, et Episcopatus juribus, bellorum maxime tempore, incommoda, et dispendii plurimum pertulit (6).

Praetereunda hoc loco non est singularis constitutio a Viglevanensibus Canonicis edita sub hoc Episcopo de differenda per duos annos proventuum participatione ipsis, et caeteris Beneficiariis debita. Cum enim latifundia, seu bona *Zerodas* subrogata anno MDXLIV praedio Sfortiaco pro dote mensae Capitularis promissum ab Caesareis delegatis novem millium libellarum annuum redditum non explerent (7); siquidem inculta ea erant, et pluribus instaurationibus, atque

(3) Basilica Petri, *Novar. Sac.* pag. 565.

(4) Archiv. Cancellar. Episcop.

(5) Historia Ecclesiastica Claudii Fleuri Vol. XXIII, Edition. Florentinae ad ann. 1562, pag. 515 haec habet: *Fra i Teologi, che parlarono sopra i sei articoli ecc. fu Antonio Grosupto Teologo del Vescovo di Vigevano dimostrando la Communione sotto le due specie di suo decreto dispiace ai Padri; il Vescovo della Cinque Chiese (cioè Giorgio Drascovizio Ambasciadore Cesareo) prende a difenderlo.*

(6) Archiv. Cancell. Episcop.

(7) Ex Capitulari tabulario certo dignoscimus integrum duorum annorum, nimirum 1543 et 1530 redditum, seu proventum ad undecim millium, et quingentarum libellarum summam non pervenisse.

aedificiis egebant, ac debita ad id subsidia imperialis aerarii administri praestare renuebant; cumque neque Capitulo, neque caeteris Beneficiariis aes suppeteret ad ea explenda, quae summam pecuniae egregiam requirebant; hinc Canonici, et caeteri Beneficiarii, quos Residentes vocant, rite convocati una cum eorum Episcopo Mauritio necessitati consulentes, omnibus serio consideratis, optime duxerunt, et statuerunt, ut qui, biennio integro, ex dictis bonis proventus, et fructus obvenirent, insumerentur omnes pro memoratis expensis, et meliorationibus: hac tamen lege, ut (si Apostolicae Sedi placuisset) eorum haeredes redintegrationem reciperent per biennium post mortem, quod deinceps observandum erat a successoribus Beneficiariis. His itaque per publicas tabulas a Notario Francisco Maggio conscriptas statutis, petierunt confirmationem a Summo Pontifice Julio III, a quo voti compotes facti sunt, rem procurante potissimum Cardinali Ranutio ad hoc specialiter delegato, qui auctoritate Apostolica vivae vocis oraculo, ut inquiunt, sibi demandata Ordinationem a Viglevanensibus Canonicis statutam approbavit, eique perpetuae firmitatis robur adjecit ut videre est in Rescripto Romae dato apud S. Petrum decimo septimo Calendas Junii anno MDLIV Canonici providentissima hac sanctione *Zemidae* praedium paullatim composuerunt, eorumque ope, et industria ad meliorem restituerunt statum: atque hinc factum est, vi nempe ejus legis hucusque usu receptae, ut omnes Beneficiarii Ecclesiae Cathedrali adscripti primo biennio nihil participent de quotidianis distributionibus, quarum deinde redintegrationem post eorum mortem haeredes, qui fuerint, per biennium recipiunt (8).

Ut memoriam pacis anno MDLIX statutae inter praecipuos Europae Principes, et maxime inter Philippum II Hispaniarum, et Henricum II Galliarum Reges celebraret, et posteris mandaret Antistes Mauritius, publicis tabulis sanxit, ut novo Ecclesia in valle Ticinensi extra Urbem piorum quorumdam hominum eleemosynis nuper aedificata vocaretur sub titulo S. Mariae pacis: insuper celeberrima supplicatione ejus jussu ad eamdem Ecclesiam ducta solemnes gratiarum actiones ingenti populi concursu redditae fuerunt eodem anno die XVI Aprilis, idest Dominica tertia (9). Redeuntibus interea a supplicatione ad Urbem Sacris Ordinibus, magnus bellicorum tormentorum fragor honoris, et laetitiae gratia in Viglevani arce fuit auditus (10).

(8) Archiv Capitul

(9) Archiv Cancell Episcop, et Brambilla, *Chies di Vig* pag 113

(10) Hic recensendum, quod cum Jurisperitorum Collegium a Duce Francisco II Viglevani institutum jam obsolesceret, idcirco Viglevanenses

Illa praeterea non amisit Praesul Mauritius, quae maximam animi sui liberalitatem exhiberent: etenim, cum Episcopi decenti carerent habitatione, ipse non ad luxum, aut ad inanem mundi fastum, sed ad Episcoporum commodum, dirutis antiquis domibus a fundatore Duce Episcopatui donatis, praecipuas aedium Pontificalium partes funditus extruxit (11); et excepit inde mense Majo anno MDLXXIV clarissimum Principem Joannem Austriacum Caroli V Imperatoris filium naturalem, qui post relatam memorabilem victoriam de Turcarum tyranno Selymo II in navali praelio apud Echinadas insulas, Insubriam petens Viglevani ad aliquod tempus est moratus una cum aliis nobilissimis viris. Quo tempore plane perspecta fuit summi Principis, et comitas, et pietas: nam cum civibus familiarissime conveniens, pila lusit, eorumque solatiis libentissime est usus (12); ac pauperes, et Moniales S. Dominici amplissimis donavit eleemosynis (13).

Ad aedificandam primam Ecclesiam S. Mariae in Coelum Assumptae pro iisdem Monialibus viventibus sub regula S. Dominici anno MDLXXVI multum et operis, et impendii contulit Praesul Mauritius, maxime ne ad audiendum Sacrum contra novas Concilii sanctiones e Monasterio egredi Moniales cogerentur: centum nummos aureos praeterea legavit pro continuanda Templi maximi aedificatione, totidemque pro construendo Clericorum Seminario, cui, praeter Ticini portum, seu navem vectoriam jam a piissimo Francisco II Mediolani Duce donatam *, ipse post reditum a Concilio Tridentino *Constantiae* praedium attribuerat, eique, auctoritate sibi a Summo Pontifice, Concilioque concessa, Canonicatum titularem S. Gaudentii Oppidi Gambolati cum omnibus juribus die XXIX Aprilis anno MDLXIX jampridem adjunxerat (14).

Ecclesiasticis curis, suisque muneribus cum esset omnino intentus, interfuit Praesul Mauritius tribus primis Provincialibus Conciliis a Cardinali Carolo Borromeo Mediolani Archiepiscopo convocatis, quibus insuper subscripsit, eorumque

ad Philippum II Hispaniarum Regem supplices dedere Litteras, ut Jurisconsultorum Collegium in pristinam restitueretur formam: eorum precibus annuit Rex Philippus, suoque diplomate signato die 24 Septembris anno 1571 denuo ad Civitatis nostrae ornamentum instituit Jurisperitorum Collegium, illudque constitutionibus, ac privilegiis ornare censuit, ut videre est in Statut. Vigl. pag. 337.

(11) Ut testantur inscriptiones relatae a Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 77, et 78.

(12) Archiv. Civitat., et Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 183.

(13) Narratio historica Monialium S. Dominici, pag. 11.

(14) Archiv. Seminarii, pag. 1 et 4.

* An. .. Reipub. Cisalpinae decretum portoria super Ticinum Dioecesis Seminarium omnino expoliavit.

Editores.

salutaria decreta ad Cleri, populique morum reformationem evulgare, reiteratis edictis, non omisit; et juxta eorum Canones sacras Scholas ad tradenda maribus, feminisque separatim Christianae doctrinae rudimenta in Templo maximo, atque in aliis suae Dioecesis Ecclesiis instituit (15). In Ecclesia Cathedrali anno MDLXXII gravem aeque ac eloquentem habuit orationem ad Fratres minores Conventuales nuncupatos, qui Viglevani in antiquo S. Francisci Coenobio pro Comitiis provincialibus convenerant, et piam supplicationem ad Aedem maximam instituerant (16). Eodem anno die S. Thomae Apostoli sacra primam Viglevanensem Synodum coegit (17), cujus decretorum sedulam observantiam deinde mandavit Clero Civitatis et Dioecesis laudatus Cardinalis Carolus Borromeus, eisque alia optima decreta adjunxit occasione, qua tamquam Visitator Apostolicus, Civitatem, et Dioecesim Viglevanensem mense Aprilis anno MDLXXVIII perlustravit (18).

Ut magis magisque divinum cultum augeret, propagaretque, anno MDLX in vetusta S. Andreae Ecclesia sacram Sodalitatem rite instituit, assignato ejus confratribus habitu viridi cum cruce rubea decussata (19). Pari modo anno MDLXXV juxta sacrorum Canonum formam erexit extra portam S. Martini Sodalitium sub titulo S. Bernardi, unum habitus nigri sociis tribuendo: hac tamen conditione adjecta, ut novi confratres Scholam Doctrinae Christianae, quae jampridem in dicta Ecclesia omnibus diebus festis explicabatur, nullo modo impedirent, immo vero totis adjuvarent viribus (20). Sic etiam postremis vitae suae mensibus consensum praestitit aliquibus Christifidelibus erigendi sacram Societatem sub invocatione S. Rochi; sed morte praeventus institutionis decretum non firmavit (21).

Tandem anno MDLXXVI mense Majo ineunte Mediolanum petiit, ut assisteret Concilio Provinciali IV, cui subscribere non potuit: ibi enim morbo correptus, Viglevanumque cum febri reversus, repentino prope fato obiit die XX ejusdem mensis: et post solemnes inferias (22) tumulatus fuit in Ecclesia Cathedrali prope Aram maximam in sepulcro marmoreo: e regione vero tumuli haec exstat in pariete inscriptio

(15) Archiv. Cancellar. Episcop.

(16) Archiv. Coenob. Minor. Conventual. S. Francisci.

(17) Archiv. Cancellar. Episcop.

(18) Idem Archiv. Cancell.

(19) Archiv. Sodalitat. S. Andreae. *

(20) Archiv. Sodalitat. S. Bernardi.

(21) Archiv. Sodalitat. S. Rochi.

(22) Solemnus ejus funus quis duxerit ignoratur.

* An. 1802 D. Andreae publicae aedi Sodalitium cessavit. *Editores.*

MAVRITIVS PETRA . DEI GRA . SVLI CO.
MLI . SENAT . VTRIVSQ SIGNATVRÆ SS.
D. N. PII IIII. PON. MAX. REFERENDARIVS
ET VIGLI EPS II VLTIMV CLAVDES
DIEM HIC IN DMNO QVIESCIT ANO AETA
TIS SVÆ LXII. MENSE VII. DIE XXIX.
AB INCARNATIONE VERO DNI CVRRETI
M. D. LXXXV: MENSE MAII
DIE . XX . N . S . R . IIII.

Sede Episcopali vacante, regium Canonicorum Collegium rite congregatum primum Vicarium Capitularem dixit Julium Paulum Toscanum Viglevanensem, Ecclesiae Cathedralis Archidiaconum, et fratrem Doctoris Collegiati Joannis Jacobi Toscani viri optimi, qui a Civitate legatus fuerat ad Summum Pontificem Pium V gratulationis causa.

Vicarius Toscanus initio sui regiminis die Sanctis Apostolis Petro, et Paulo sacra anno MDLXXVI aliquibus piis viris indulsit, ut intra urbem aedificarent Ecclesiam sub nomine S. Rochi, eamque in sacram instituit Societatem, assignando sodalibus habitum coloris violacei, qui deinde per aggregationem ad sodalitatem S. Rochi de Urbe Romana mutatus fuit in viridem (23).

(23) Archiv. Sodalitat. S. Rochi *

* An. 1800 et hoc templum fisco addicitur. *Editores*

CAPUT VI.

DE ALEXANDRO CASALI

TERTIO VIGLEVANI EPISCOPO

Tertius inauguratus est Viglevanensis Episcopus Alexander Casalis Patricius Bononiensis, ex Marchionibus Oppidi Monticellorum, qui, cum omni litterarum genere probe excultus, ac singulari prudentia, optimoque consilio praeditus esset, ad Philippum II Hispaniarum Regem Legatus a S. Pio V primum, a Gregorio XIII iterum ad eumdem Regem Legatus delectus est: quas gravissimas ad Regis, ac Pontificum vota binas adeo laudabiliter executus est legationes, ut illud sibi, spectatissimaeque Genti suae decus, quod jampridem Majores sui ubertim sibi comparaverant, vel plurimum adauxerit (1).

(1) Ex monumentis a J. C. Jacobo de Sitonis collectis mihi constat, quam clarissima sit Casaliorum familia. Inter eos celebres sunt Rinaldus nimirum, et Ugoccione, qui, ut saeculi XII, et XIII historiographi ferunt, militaribus egregie functi praefecturis pace, belloque floruerunt quammaxime; Raincrius vero ob praeclare gesta, Procerum omnium, ac plena Cortonensis populi consensione, electus fuit ejusdem Civitatis Princeps, ornatus a Friderico III Caesare Vicarii Imperialis titulo honestatus; Gregorius pariter Henrici VIII Anglorum Regis Legationibus ad Leonem X, Hadrianum VI, et Clementem VII Pontifices Maximos celeberrimus fuit, Andreas demum filius Francisci de Casalibus, et Juniperae Aldrovandae ejus Conjugis, Senator Bononiensis, Ordinisque Hierosolymitani eques, multis domi, forisque bello et pace rebus praeclare gestis, illustrem sibi famam comparavit, tum apud Henricum Britannorum Regem, cujus obgrando copiis duxit, tum apud Pontifices Maximos Clementem VII, cui in bello Florentino Romanae Ecclesiae exercitus coram ductori, atque Paulum III, a quo Praetorianae Palatinaeque cohortis Praefectus fuit constitutus. Memorati Andreae ex Conjuge Violante Paltroni pariter Bononiensi nobili foemina plures filii fuere, inter quos Alexander Episcopus Viglevanensis. Lege Dolphium in Chronolog. Famil. Nob. Bonon. pag. 249, Crescentium

Inter natos Andreae Casalis equitis Hierosolymitani viri summis rebus gestis insignis, et conjugis Viridae Paltronae fuit Alexander, de quo hosce exaramus commentarios. Hic a laudato Hispaniarum Rege Philippo II, uti patrono, cui quam acceptissimus erat, et curante Cardinali Carolo Borromeo (qui bonos Praesules in sua Provincia constitui cupiebat) Viglevanensis Antistes dictus est die 3 Julii anno MDLXXVII (2); et subsequenti anno, postquam in Civitate Placentiae (ubi antiquissima ejus familia Patriciis honoribus jamdiu decorata fuerat) benevolis humanitatis, et existimationis notis Delegatos Viglevanenses, qui honoris causa ei obviam ierant, excepisset (3), ad suam Ecclesiam die festo Principis Apostolorum solemnem habuit introitum, ingenti omnium Civitatis Ordinum, et Dioecesis universae laetitia, ac gratulatione exceptus (4).

Episcopale munus ab integerrimae vitae ratione, ac non fucatis religionis, pietatisque argumentis auspicatus est: statim enim a Pontifice Gregorio XIII Indulgentias obtinuit pro intervenientibus antiphonae *Salve Regina* nuncupatae, quae post Vesperas in Ecclesia Cathedrali quotidie canitur, et non modo con-

in Chron. Nobilit. Ital. Par. II, Narrat. 15, Cap. 2, et plures alios *Scriptores* allatos in aegregi historica Casaliorum nobis communicata per praestantiss. Lectorem P. Norbertum a S. Antonio Ord. Carmelit. Excalceat.

(2) Paschalis Alibinius de Episcop. Patr. Donna, pag. 122.

(3) Archiv. Civitat. Vigl., et Brambilla, *Chiesa di Vig.* pag. 34.

(4) Hoc anno 1578 mense Aprilis, antequam Episcopus Casalis ad suam perveniret Ecclesiam, Divus Carolus Borromaeus, ut Visitator Apostolicus, universam Viglevanensem illustravit Dioecesim, pluraque ad ecclesiasticam disciplinam spectantia, et gregis moribus instituendis utilia promulgavit. Inter caetera primum, cum Mortarius Ecclesiae vi alteri, ad componendas controversias ortas inter Pompejum Biragum Praepositum Commendatarium Paroeciae S. Albini, et Oppidanos Mortarienses ob translationem Paroeciae ab Ecclesia S. Albini ad eam Divi Laurentii, decrevit, ut supradictus Praepositus Commendatarius, ejusque successores teneantur futuris temporibus solvere quotannis scuta auri centum Vicario perpetuo Ecclesiae S. Laurentii, vel auctoritate Summi Pontificis Gregorii XIII, ac potestate eodem Birago, anno 1577 annexa fuerat Paroecia S. Albini. Insuper scuta auri quinquaginta pensitare debeant Capellano adjutori Officii Parochialis. — Acta Visitat. S. Caroli in Archiv. Cancell. Episc. asservata.

Non abs re erit recensere, ad Ecclesiam S. Albini antiquitus constitutum fuisse Clericorum, seu, ut alii dicunt, Canonicorum Regularium Collegium cum Praeposito, sed progressu temporis, deficientibus Clericis, seu Canonicis, ac sublato Collegio, redditus satis ampli in Commendam nomine sunt translati, unique Abbati tribui solent. Basilica Petri *Eccl. Novar.* pag. 26, et Hyacinth. Gallia in tom. III, *Atti de' Santi* pag. 153.

Juribus Parochialibus sic translatis ab Ecclesia S. Albini ad eam S. Laurentii, ubi prima nobilis admodum Paroecia, Parochus S. Laurentii, titulo Vicarii perpetui, deinceps appellari coepit, tum Summus Pontifex Urbanus VIII initio sui Pontificatus anno 1623, Bonifortem Avictam, qui tunc erat laudatae Paroeciae S. Laurentii Vicarius, nuncupavit nomine Praepositi, aliaque privilegia instar Praepositorum Ecclesiarum Dioecesis Mediolanensis ipsi, ejusque successoribus concessit. Archiv. Colleg. S. Laurentii.

credito sibi gregi, verum etiam animabus, quae purgatorio igne expiantur, prompto, efficacique levamine prodesse cupiens, diplomate ab eodem Pontifice concesso, per publicam scripturam declaravit die XXII Augusti anno MDCCXXVIII (5), aram scilicet in majori Templo, nuncupatam Augustissimi Eucharistiae Sacramenti, perpetuo auctam fore privilegio ad illius rationem, quod vulgo Divi Gregorii de Urbe appellatur, voluitque, ut in posterum altare Mortuorum nuncuparetur.

Hisce peractis, Bononiam Patriam suam petiit Alexander, et ibi munificae suae pietatis perenne dedit testimonium, ut colligitur ex inscriptione (6) posita in pariete Sacelli Divo Paulo dicati, et prope aliud Sacellum B. V. Mariae ad Praesepe, ambo de jure patronatus nobilis familiae Casaliorum in Basilica S. Dominici Bononiae.

(5) Acta Cancellar. Episcop.

(6) In inscriptione haec leguntur:

ALEXANDER CASALIS ANDREAE SENATORIS F
VIGLEVANENSIS EPISCOPVS PIETATIS CHRISTIANAE
ATQVE AETERNAE VITAE MEMOR SACELLVM VIRGINI MATRI
AD PRAESEPE DICATVM IMBECILLIORIBVS
SVPERPOSITAE TVRRIS FVNDAMENTIS OPERE
FIRMIORE SVBSTRVCTIS ATQVE ALIIS IN COMMODA
HVIVS EXPENSIS ERECTIS AEDIFICANDVM
ORNANDVMQVE CVRAVIT PRAEDIIS ET FVNDO
PRAEDICATORIBVS HINC LEGIBVS ATTRIBVTIS
VT IN HAC IPSI PAVLI AEDICVLA SERVETVR
SACRVM DVM IPSE VIXERIT PRO PARENTIBVS
ET CVM E VITA MIGRAVERIT PRO SE
QVOTIDIE FACIANT III PRECIBVS ADDITIS
QVAE IN SACRORVM TABELLA CONTINENTVR
SINGVLORVM MENSIVM INITIO PVBLICAE
DECANTENT QVO PERACTO ET IVSTA ECCLESIAE
RITV PERSOLVENDA DVO E CHORO CON
VENIANT ETSI SACRVM IN DIEM FESTVM
CELEBRANDVM INCIDERIT COMMEMORATIONEM
DE FRATERNITATIBVS NOVITER DEFVNCTORVM
VESPERAE SINGVLIS DIEBVS ITIDEM POST
COMPLETORIVM RECITENT IN QVO VERO QVIS
TEMPORE OMNIVM EX IIS FVERIT IVS
TVM BONONIENSI CAPITVLO SIT TVM
HONORIBVS FRATRIBVS ET OBSERVANTIAE
IN HAC MVNERA ONERAQVE SVCCEDENDI
QVEMADMODVM PVBLICAE TABVLAE E
THOMA ZAMBONIO CONFECTAE ANNO
MDCCXXVIII DIE QVINTA MENSIS SEPTEMBRIS
ATQVE IN ARCHIVIO POSITAE DECLARANT

Rebus sic statutis, Viglevanum revertitur, ubi lustrata Civitate et Dioecesi saluberrimas ad sacrorum Canonum apices cudit sanctiones, et interfuit Concilio Provinciali quinto incoepto die VII Maii anno MDLXXIX (7), eique cum aliis Episcopis subscripsit. Divino cultui cum esset addictissimus, ad prosequendum incoeptum aedificium majoris Templi plurimum contulit, in eoque nobile, et peramplum a fundamentis aere suo excitavit Sacellum, primum Episcoporum nuncupatum, subinde Divo Carolo sacrum (8). Auctor (ut ajunt) quoque fuit (9)

(7) Eodem anno, ut constat ex Archiv. Episcop., et ex actis Cancellar., in Oppido Mortariae ob permixtionem Dioecesis Viglevanensis et Papiensis graves sunt ortae controversiae, ac turbata utriusque Dioeceseos jurisdictio; et praecipua occasione, quo solemnis, ut publica agebatur supplicatio in festivitate Sanctissimi Corporis Christi, ex eadem die, magno cum animorum scandalo, variae sunt enunciatae excommunicationes a Parocho S. Crucis nomine sui Episcopi in Parochum S. Laurentii, dum sacra Eucharistiae Sacramentum solemniter deferebat, et in alios Oppidi Primores, quando ingressuri erant Ecclesiam S. Mariae de Castello Anathemati fuerunt nonnulli subjecti, alii ad carcerem absoluti, alii in carcerem detrusi; effractae praeterea fuerunt fores aediculae S. Mariae de Castello, quam una cum Ecclesia S. Pauli Oppidi Gambolati uterque Dioecesis Episcopi jure suo esse contendebat, et plurimae aliae sunt institutae quaestiones, ac plurima facta judicia, quibus deinde multas post discussiones finem imposuit Gregorius XIII, atque otiosum perpetuum rebus finem imposuisset: attalis enim programe ob Dioecesis permixtionem plurimae sunt illatae contentiones, et lites, quae utrimque Dioecesis Episcopis graves attulerant molestias. Siquidem Mortariae ambo Episcopi Viglevanensis, et Papiensis jurisdictionem exercent, illamque inter se partiuntur per vicos, ut vicus Gambolati vero, exceptis quibusdam Ecclesiis utrique Antistiti solido competentibus, populum inter se dividant, sive conjugali locatvine, sed personarum, cognominum, et familiarum distributione, quinimo in Ecclesia S. Mariae nuncupata *Della Stradella* adhuc permanent, et alternatim jurisdictionem habent, et uno anno ea Ecclesia subdita est Episcopo Viglevanensi, altero anno Episcopo Papiensi.

(8) Inscriptio posita in Sacello S. Caroli.

(9) Nulla enim est certissima epistola de origine religiosissimae, singularisque orationis Viglevanensium propriae et ab ipsis veluti in ritum recoptae, quae per 50 continentes dies, et noctes, videlicet a Paschate usque ad Pentecosten (reliquiae ad 40 tantum dies producebatur in memoriam 40 dierum, quibus Redemptor noster post Resurrectionem cum hominibus est commoratus, et quotannis incipiebat a Dominica prima Aprilis, ut refert Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 19) publicae fidelium venerationi in Templo omnium exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Nam alii illam immemorabilem dicunt, alii ad Pontificem Alexandrum Casalem eam referunt. Parvi ferme momenti videntur argumenta, quibus haec institutio antiquissima probatur: praecipua enim afferuntur illius verbis, quibus Novarob. Episcopus noster Petrus Georgius Odescalcus in quadam narratione Romae facta anno 1618 ad componendas controversias inter mera Sodalitia tunc obortas, eam appellat *immemorabilis institutionis*. Aut hoc sensu illa revera immemorabilis dici poterat, quum quatuor Pontificum antecessorum consuetudine haec sacra precatio habita fuerit. Melioribus argumentis nititur altera opinio, quae hanc plurimam institutionem refert ad annum 1578, et 1579. Primum enim haec institutio certe posterior fuit orationi 40 continentium horarum jam Mediolani promulgatae anno 1556 a P. Joseph Ordinis Capuccinorum in memoriam 40 horarum, quibus Redemptor noster in sepulcro jacuit: siquidem ante illud tempus, ut ex variis colligitur Scriptoribus, nullibi quod sciatur, per continuos dies sacra exponebatur Eucharistia. Lege Thiersium tractatu de *SS. Altaris Sacramenti expositione*, lib. 2, cap. 4.

Praeterea ex Archivio Cancell. Episc. eruitur, laudatam precationem ab Antistite Casali institutam fuisse: initio enim saeculi decimi septimi

solemnis illius, ac in universo quod sciatur, terrarum orbe plane singularis precationis coram Eucharistiae Sacramento ad quadraginta continentes dies, noctesque quotannis verno tempore palam exposito in magnifico Ciborio (10), distributis per turmas precandi horis, mulieribus quidem diu, viris noctu. *

gratia excitata fuit quaestio inter Sodalitatem Immaculatae Conceptionis, et S. Crucis de praeeminentia in publicis actionibus, atque inter alia monumenta Sacrae Rituum Congregationi exposita ad ostendendum Sodalitatem Immaculatae Conceptionis antiquiorem esse Societate S. Crucis adlatum fuit, Episcopum Casalium in institutione expositionis Sanctissimi Sacramenti pro 40 diebus vocasse confratres omnium Societatum, quae tunc Viglevani aderant, eisque pro adorationis tempus assignasse secundum earum antiquitatem, et Societati Immaculatae Conceptionis primum locum attribuisse post Sodalitatem Corporis Christi.

Insuper Divus Carolus, qui ut Visitator Apostolicus Ecclesiam nostram Cathedralem, et Dioecesim anno 1578 rite invisit, atque omnes functiones accurate cognovit opportunaque decreta pro rerum, ac temporis necessitate commendavit, ne verbum quidem fecit de hoc precandi modo, cum nulla omnino ipsi esse deberet hujusmodi devota praxis, utpote tum hanc exstitisse comperit mense Aprili quo tempore fieri solet laudata expositio in Sacello nunc S. Caroli nuncupato, quod tantummodo anno 1581 ab Episcopo Casali aedificatum fuit.

Tandem ex publicis tabulis et manuscriptis Codicibus Civitatis, cujus sumptu fit haec precatio, colligitur, annis 1577, et 1578 a magnifico Consilio praescriptum fuisse, ut, obtenta prius ab Episcopo facultate, publico aere suppliciter fierent preces ad grates Deo habendas, eo quod hanc Civitatem servasset incolumem a dira peste, quae paucis ante annis, et praecipue 1576 Italiae regiones, et Italiam fere universam afflixerat, [illegible] primum fuisse, ut [illegible] exposita pro expositione Sanctissimi Sacramenti fieri mensibus Majo, Junio, ac Julio cum enim anno 1577, et 1578 omnem agrorum fructus ingens pruina devastasset, initium fuit hoc orationis genus, ut debitae redderentur Deo gratiarum actiones a peste liberatione, et ut Deus grandinem, erucas, locustas, et carbunculos a morte, nebulas, agris, ac fructibus arceat, et mala omnia a nobis avertat. Brevibus hisce rationibus addere fas est cum Stephano Brambilla, *Chiesa di Vigevano* pag. 19, et 20, et cum aliis nostrae aetatis Scriptoribus, laudatam orationem circa annum 1578, et 1579 notum habuisse.

Caeterum quidquid sit de hujus devotionis origine, certum tamen est, celeberrimam hanc institutionis pietatem, ac religionem semper auctam ac firmatam fuisse. In hac enim supplicatione, quae sine intermissione a fidelibus Viglevanensibus ad hanc usque diem, favente Deo, continuata fuit, et satis est ad eorum religionem pietatemque in dicendum, hominum continuo ad Deum funduntur preces, et omnia mala a populo, et ab Augustissimo Rege avertat. Tam prolixam orationis exercitium, quod alienigenas commovere admirantes, et difficillimum putant, Viglevanenses nullum refugientes laborem, [illegible] nullum cessum in unum facili, verum etiam constanti assiduoque fervore certatim exsequuntur. Nam universa Civitas in Sodalitiis distincta, singulis horis [illegible] in decurias pro adoratione disposuit, viri nocturnas, mulieres diurnas in oratione horas ducunt, et admirabile sane spectaculum est, singulas conteri frequentissimas decurias cujuscumque aetatis, ac conditionis cum Crucifixi vexillo modeste progredientes ad marmoream orationis opus peragendum, et, Deo providente, nulla unquam in tanta temporum, et rerum vicissitudine cadere est publicae quietis perturbatio, quinimo semper magis magisque in civium animis hisce devotionis ardor auctus fuit, ut ipsi nullam fere diem [illegible] sine suppliciter ad sacram Hostiam accedere. *

(10) Hoc ciborium, seu vasculum pro palam exponenda Eucharistia opere caelato ex argento [illegible] artificiosissime confectum absolutum fuit anno 1517 [illegible], et sumptibus Sodalitatis Corporis

* Tanta ac prope constanti triennali SS. Eucharistiam veneratio [illegible] ab altero Paschatis ad alterum Pentecostes diem fertur. *Editores*

Inter haec, quae pissimi animi magnitudinem satis manifestant, permultum cordi fuerunt Praesuli Alexandro Episcopales aedes, quarum cumulatissimus amplificator fuit: in iis enim, ut successorum Praesulum commodis consuleret, Pontificale sacellum, scalam maximam, pinacothecam, et subdiale pavimentum in viridario construxit (11). Ad civitatis ornatum plurimum contulit, imo, ne aes publicum in ipso erogaretur ornatu, magnos sumptus ex integro sibi advocavit. Ast, quod praecipuum est, ad sublevandos pauperes nullis pepercit et laboribus, et sumptibus. Cum partes omnes Antistitis optimi explevisset, ingens sui desiderium relinquens extremum effudit spiritum die XVI Februarii anno MDLXXXII. Tumulatus quiescit in Sacello Ecclesiae Cathedralis a se constructo, cui merito posita fuit tabula marmorea cum sequenti elogio

ALEXANDRO CASALI PATRICIO BONO
NIENSI ANDREAE COMITIS EQVITIS HIE
ROSOLYMITANI ET SENATORIS F. VIGLE
VANENSI EPISCOPO PII V PONT. MAX.
ADMISSIONVM MAGISTRO AC BIS AD
PHILIPPVM REGEM HISPANIARVM
NVNCIO ET AB EODEM PROP
TER SVMAM APVD EVM GRA
TIAM HAC ECCLESIA DECO
RATO SACELLI HVIVS CON
DITORI ET TOTIVS EPIS
COPII AMPLIFICATORI MAGNIFICENTISSIMO
VINCENTIVS PROTONOTARIVS
FRANC. MARIA EQVES ET SE
NATOR ET MARIVS EQVES
FRATRES FRATRI POSVERVNT
MDLXXXII.

Christi, ac deinde Templo maximo rite donatum. Archiv. Capitul., et Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 27 et 28. *

* Id opus pretiosissimum vi calendas Junii inter noctem sacrilegus obstulit. *Editores.*

(11) Ut constat ex inscriptionibus, quae olim in Episcopalibus aedibus legebantur. Vide Brambillam *Chies. di Vig.* pag. 31, 32, et 78

Vita functo Episcopo Casali, gravissimo Canonicorum Viglevanensium judicio Hieronymus Rosamarina Viglevanensis, Decanus Ecclesiae Cathedralis, constitutus fuit Vicarius Capitularis, atque ob probatam ejus integritatem, et virtutem per quatuor vices ad id genus muneris fuit delectus, quatuorque Viglevanensium Episcoporum ex ordine sibi succedentium Vicarii Generalis egregie perfunctus officio. Is per frequentem litterarum consuetudinem Cardinalem Carolum Borromeum Mediolani Archiepiscopum de regimine Ecclesiae consulebat, eumque saepe adhibat, ut constat ex nonnullis ejusdem Cardinalis epistolis etiamnum apud Dominos Biffignandos asservatis.



CAPUT VII.

DE BERNARDINO BRICENNIO

QUARTO VIGLEVANI EPISCOPO

Vir utique egregius fuit Bernardinus Bricennius patria Romanus, sed genere Hispanus, qui cum maximam sibi ingenii, doctrinae, et consilii famam comparasset, et cum Graeca, Latina, Teutonica, Gallica, et Hispana lingua optime polleret, in gravissimis rebus ab Hispaniarum Regibus, et a Romanis Pontificibus adhibitus fuit. In primis a Carolo v Imperatore, et a Philippo II Hispaniarum Rege Commissarius generalis deligitur ad bellum Quintinopolitanum, et ad alia praeclara munia: tum a Pio IV, deinde a Pio V Pontificibus Maximis Apostolicus Legatus mittitur ad Cosimum I, et ad Ferdinandum I magnos Hetruriae Duces (1). Tandem cum laudati Philippi Regis prolegatus in aula Romana biennio moratus fuisset, et demandatis muneribus egregie perfunctus esset, ex Canonico Abulensi Episcopus Viglevani ab eodem Catholico Rege designatus fuit anno MDLXXXII. Quapropter Summus Pontifex Gregorius XIII die V Novembris ejusdem anni publico praeconio non modo Abbatem Bricennium dixit Episcopum Viglevanensium, verum etiam a dimittendis muniis, et ecclesiasticis beneficiis ab Episcopatu non alienis, et ab assequendo Doctoris gradu in Episcopis desiderato exemit (2).

(1) Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. IV, colum. 821.

(2) Acta Romana nobis comparata per urbanitat. D. Constantinum de Sifilgnandis Ordin. Cistercien. Monasterii S. Crucis in Hierusalem Procuratorem

Suscepta manuum impositione, ad concreditam sibi Ecclesiam Dominica prima Junii subsequentis anni advenit, omni venerationis significatione a civibus, qui ei usque Abbiatem obviam ierant, exceptus (3). Initio sui Pontificatus, petentibus aliquibus piis viris Viglevanensibus, ad divini cultus augmentum, et ad animarum salutem promovendam, Calendis Julii anno MDLXXXIII constituit in aedicula S. Mariae Angelorum Sodalitatem sub titulo Annunciationis Beatae Virginis, attributo ejus Confratribus habitu coloris caerulei, et novam Ecclesiam S. Mariae Angelorum extra muros suis praecipue sumptibus aedificari, et perfici curavit, eamque statutis conditionibus laudatae Sodalitati assignavit die XXIII Januarii anno MDLXXXVI (4). Una cum Cardinali Nicolao Sfondrato Episcopo Cremonensi (qui postea Gregorii XIV nomine assumpto Pontifex maximus fuit), ac duobus aliis Episcopis interfuit solemnibus funeribus Cardinalis Caroli Borromaei Archipraesulis Mediolanensis vita functi die III Novembris anno MDLXXXIV (5).

Ex publicis hujus temporis tabulariis eruitur, Hieronymum a Puteo, et Luchinam Bosiam jugales anno MDLXXIV die XV Septembris per testamentariam legem omnia sua bona reliquisse pro institutione unius Nosocomii sub titulo immaculatae Conceptionis, ad hoc ut in ipso omnia charitatis officia erga pauperes infirmos praestarentur, quae jampridem praestari solebant in Nosocomio Viglevani jam diu constructo sub nuncupatione Ss. Mariae et Marthae (6). Quapropter Antistes Briceenius, petentibus ipsis Administratoribus, die XXV Maii anno MDLXXXVIII per publicum decretum rite erexit, et instituit novum Nosocomium sub nomine immaculatae Conceptionis B. M. V. juxta piorum testatorum voluntatem.

Pari charitatis exemplo erga egenos excitati Camillus Aliprandus anno MDLXXV, et ejus uxor Catharina de Basticis anno MDLXXXIII haeredes dixerunt antiquam Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti Ecclesiae Cathedralis, onere imposito instituendi Nosocomium sub invocatione Sanctissimi Sacramenti (7).

(3) Archiv. Civitat.

(4) Archiv. Sodalit. S. Mariae Angelorum.

(5) Giussani *Vita di S. Carlo* pag. 553.

(6) Non abs re erit hoc loco significare, quo anno, et quis valetudinarium sub titulo Ss. Mariae et Marthae instituerit. Is fuit Presbyter Paulus de Ferrariis Viglevanensis, qui, potita prius facultate a Duce Ludovico Sforzia die 8 Junii anno 1498, et auctoritate ordinaria Joannis Baptistae Ferretti Vicarii generalis Hieronymi Pallavicini Episcopi Novariensis instituit, et erexit die 3 Aprilis anno 1511 domum piam seu Nosocomium sub nomine Ss. Mariae et Marthae pro hospitandis, et curandis pauperibus infirmis. Archiv. ejusd. Nosocomii.

(7) Ex variis documentis dignoscimus Sodalitatem Sanctiss. Sacramenti Ecclesiae Cathedralis institutam fuisse initio saeculi decimi sexti.

Praeterea Episcopus Bricennius Capituli sui Canonicis a Gregorio XIII jus obtinuit quotidianas percipiendi distributiones, etiam tempore bimestris a Choro vacationis (8). Dioecesim lustravit, secundam Synodum Viglevanensem salutaribus decretis refertam celebravit; cancellos ex marmore in Presbyterio Ecclesiae Cathedralis aere proprio construxit; in virginibus collocandis, nutriendisque pauperibus plurimas opes effudit.

Ad animos inflectendos maxime valebat Praesul Bricennius, idemque, cum esset pacis studiosissimus, omnem, dum lites haberentur, ineundae concordiae viam semper quaerebat. Hinc controversiam inter Sodales S. Christophori exortam ob habitus mutationem feliciter composuit anno MDLXXXIV; sic etiam omnem operam, et officium praestitit, ut excitatam controversiam inter Dignitates, et Canonicos sui Capituli circa divisionem fructuum, ac distributionem sedaret, eamque per sententiam ad tempus finivit (9); tantam, ut paucis me expediam, consilii, et

(8) Ex Decreto in fundatione Ecclesiae Viglevanensis statuto, et a Clemente VII confirmato, singuli Capitulares jus habent vacandi a Choro per duos menses infra annum, sed in hac vacationis concessione nulla facta fuit mentio de lucrandis quotidianis distributionibus etiam tempore bimestris vacationis, hinc Canonici supplicarunt, ut ope Praesulis Bricennii favorabile rescriptum a P. M. Gregorio XIII obtinuerunt, ut constat ex originali epistola S. C. C. ad Episcopum Viglevanen., quae hic fideliter exscribitur: *Reverendus, atque Illustris Dominus Praepositus in libello, Capituli Viglevanensis nomine, discussa fuerunt in Sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, et ab ea postea ad Sanctissimum D. N. relata. Quamobrem Sanctitas sua annuit, ut liceat iisdem Canonicis abesse duobus mensibus anni, et interea temporis lucrari distributiones quotidianas, si modo verum sit, quod asseritur, in distributionibus quotidianis omnes Canonicatuum fructus consistere. Praeterea, ut eorum absentia non toleretur, nisi per vices designandas arbitratu tuo, ac cum ea conditione ut Ecclesiae servitium praesto esse. Item quod non plures, quam duo Canonici uno eodemque tempore ab Ecclesia absint. Haec ut observentur, Amplitudinis tuae officium erit curare, quam bene, ac feliciter valere optamus. Romae die 28 Martii 1584. Amplitud. tuae uti frater.* Subscript. Philippus Boncompagnus *Cardinal. S. Sixti.* Hinc Episcopus Bricennius, prospectis Sacrae Congregationis Concilii litteris, ne divinus cultus, Ecclesiaeque servitium minueretur, publico decreto cavit, non licere Canonicis vacare a Choro quibusdam anni diebus, quos singillatim declaravit, aliasque adjecit conditiones, ut videre est in Decreto facto in aula Capitulari die 17 Augusti anno 1587, Archiv. Capit.

(9) Per id tempus cum redditus praedii *Zeundae*, et aliarum possessionum ob meliorationes a Capitulo praestitas anni notabiliter laxarent: hinc Beneficiarii dignitates obtinentes, non contenti libellis centum imperialibus in fundatione assignatis pro quolibet Canonico, majorem summam proportione habita juxta proventuum augmentum postularunt ad ratam primi doti, et illam adversus Canonicos constituerunt apud Episcopum Bricennium, qui rebus serio consideratis, controversiam finire curavit, sententiam ferendo in favorem Canonicorum. Verum cum huic definitioni non acquiescerent Dignitates, ad Sanctam Sedem appellarunt, earumque acta detulerunt. Re per Summum Pontificem ad Sacram Concilii Congregationem remissa, et diu discussa, Cardinales die 17 Martii anno 1587 hisce verbis declararunt: *In divisione fructuum, et distributionum Praepositum pro sua parte ante omnia percipere debere libellas biscentum et quinquaginta imperiales, alias vero quinque Dignitates pro sua*

prudentiae existimationem in rebus gerendis, aptissimique pacificatoris famam apud omnes sibi conciliavit, ut ultimo vitae suae anno specialiter delectus fuerit ad componendam gravissimam de jurisdictione controversiam exortam inter Gasparem Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensem, et Gubernatorem Insubriae Carolum de Aragonia Ducem Terrae novae: quapropter Mediolanum petiit, et illi demandatum munus suscepit, et maxima Insubrum admiratione peregit, ac absolvit; illudque perarduum obtinuit, ut utrique satisfecerit parti.

Viglevanum cum redisset, lethali febri correptus fuit, ac testamentariis tabulis, praeter egregiam pecuniae summam Monti pietatis donatam, non minorem legando cavit, ut coemptorum ex ea bonorum proventus in quatuor puellarum pauperum dotes quotannis erogarentur. Ipse vero, postquam fere sex annis Viglevanensi Ecclesiae optime praefuisset, die x Augusti anno MDLXXXVIII decessit, cum aetatis suae annum septuagesimum quintum ageret. Tumulatus quiescit in Sacello nuncupato S. Caroli Ædis maximae, [10] et nulla ad ejus sepulcrum addita fuit inscriptio.

Ecclesia Viglevanensis, suo orbata Pastore, nomine Vicarii Capitularis per regios Canonicos iterum salutavit Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Hieronymum Rosamarina.

praecipua parte libellas centum: et deinde idem Praepositus, et caeterae Dignitates aequales quoque cum aliis Canonicis partes ex tota massa omnium, et singulorum fructuum, et rerum distribuendarum cum omni suo augmento cujuscumque valoris accipiant, praeter praecipuas suas partes superius expressas; et ita perpetuo observetur deinceps. Quam sententiam eodem anno die 22 Augusti confirmavit Sixtus v in suo Rescripto incipiente: *Ad tollendas inter ecclesiasticas personas litium et controversiarum occasiones etc.* Archiv. Capit.

(10) Liber mortuor. Eccl. Cathed.

CAPUT VIII.

DE PETRO FAUNO COSTACCIARIO

QUINTO VIGLEVANI EPISCOPO

Ex Oppido Piceniae Provinciae, et Iguvinae Dioecesis *Costacciaro* nuncupato fuit Petrus Faunus quintus Viglevanensis Episcopus, ab ejus patria Costacciarius cognominatus (1). Ibi enim die XXII Aprilis MDXXIV ortus est nobili Patre Mariotto Fauno (2), matre vero Gabriela Pia insignis nobilitatis conjuge (3). Adolescens post humaniorum litterarum studium philosophiae, et jurisprudentiae sedulo operam dedit, indeque Doctoris insignia summa cum laude Ferrariae est consecutus. Jurisconsulti famam non vulgarem adeptus, apud Urbinates, et Pisaurenses Praetoris munus obivit, et Tipherno Tiberino praefuit, ubi adeo altius inclaruit nomen, ut Bonaventura Pius Episcopus Aquensis ejus avunculus (qui apud Romanum Pontificem legatione fungebatur splendidissima pro Guidone Ubaldo Urbinatum Duce), legitima intercedente dispensatione, Aquensem infulam ei renunciaverit anno MDLIX (4).

(1) Pro commentariis Antistitis Petri Fauni Costacciarii plurimum debemus amplissimo Praesuli Joanni Antonio de la Berretta Episcopo Laudae Pompejae, ejusque praestantissimo Vicario Dominico Bigiami, nec non praeclarissimo viro Augustino Zocchi Vicario generali spec. illustrissimi Principis Caroli Aloysii Buccotti dal Signore Vescovo Episcopi: ipsi enim monumenta authentica nobis suppeditaruut

(2) Mariottus Faunus a Guidone Ubaldo Urbinatum Duce in Iguvinorum nobilium ordinem relatus fuit. Archiv. nobil. domus Massarelli Iguvii

(3) Gabriela Pia erat soror Bonaventurae Pii, qui fuit Ordinis Minor. Conventual. Praefectus generalis, dein Episcopus Aquensis, et Legatus. Archiv. nobil. domus Armanni

(4) Archiv. Armanni et Massarelli

Faunus vix inauguratus Episcopus suam petiit Ecclesiam. Mox vocatus accessit ad Concilium Tridentinum, ubi usque ad exitum permansit, seque celebrem reddidit in sustinenda sententia, de jure divino teneri cunctos animarum pastores apud suas oves residere (5).

Absoluto, et dimisso Concilio, Romam contendit, ut obsequii causa Maximum Pontificem Pium IV adiret, a quo benigne quidem exceptus est, sed cum, ludentibus verbis, monitus fuisset, de jure divino Pastorem penes suum gregem versari debere (6). Supremo Pontifici illico paruit, et ad suam regressus sedem in illud incubuit accuratissime, ut in universa sua Dioecesi sacra Tridentinae Synodi decreta evulgarentur, et in mores inducerentur, existimans hoc salutari remedio hisce temporibus accommodato, Ecclesiae suae statum tot depravatis moribus collapsum erigi, atque ad pristinam pietatem restitui facile posse. Pari modo plurimum egit, ut executioni mandarentur Sanctiones Conciliorum Provincialium a B. Carolo Borromeo coactorum, quibus ipse interfuit, iisque omnibus vel per se, vel per procuratorem subscripsit (7).

Aquensem Ecclesiam dum regeret Faunus, tantum apud Caesarem Maximilianum II nomen habuit, ut ab eo per honorificum diploma Vindobonae datum die VI Augusti anno MDLXVIII non modo obtinuerit confirmationem omnium privilegiorum sibi, suaeque Ecclesiae ab Imperatoribus, ac Regibus jam concessorum, (8) sed etiam amplissimam Collegii ibi instituendi, Doctoresque creandi potestatem habuerit (9). Promovendae pacis cum esset studiosissimus, rerumque agendarum prudentia excelleret, suadente Romano Pontifice Gregorio XIII delectus fuit ab eodem Imperatore ad sedandas civiles Reipublicae Genuensis discordias, et contentiones ortas inter antiquos, ac neotericos Optimates, ac populum. Arduum hoc, difficileque opus suscepit, ac cum aliis Principum Legatis (10) Genuam convenit anno MDLXXV. Interea dum gravissimum negotium

(5) De hac controversia acriter disputatum fuit in Concilio ante sess. 6 sub Paulo III; sed ea vehementius recruduit sub Pio IV in conventibus habitis ante sess. 18 et 23, quibus interfuit Praesul Faunus: et tanto studio in utramque partem versatum est, et plena pro utraque sententia exarata fuerint opuscula, cumque dissidentes Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, deliberatum est: ut novo quidem decreto cuncti animarum Pastores ad residentiam adigerentur, ac severae poenae contumacibus infligerentur, quin aliquid definiretur, utrum haec residentia sit nec ne de jure divino.

(6) Archiv. Aruncei.

(7) Acta Concilior. Provincial. Mediolanen.

(8) Monumenta Aquensia Clariss. Moriondi.

(9) Archiv. Mascarelli.

(10) Missi a Principibus delecti ad sedandas Genuensium contentiones fuerunt Cardinalis Joan-

serio cum Legatis pertractat, quodam mane, praeter consuetudinem, popularis excitatur tumultus; veriti siquidem nonnulli Genuenses, ne aliquid contra eorum jura, et libertatem firmaretur in favorem antiquorum nobilium, ad Legatorum palatium praecipites accurrunt, illudque inopinato circumdant, animo dejiciendi e fenestris delectos Administros, qui, cum subito de eorum discrimine certiores facti fuissent, expavescere, ac de rei summa desperare coeperunt; ast solus Faunus imperterritus constitit, et divina fretus ope, Christi crucifixi imaginem sibi dari postulat; quam manu tenens, in tumultuantem illico irrupit gentem; et cum populari eloquentia mirum in modum valeret, atque ad persuadendum dicendi copia magnum semper habuerit, praesensque subsidium, tantum effecit, ut civium animos paullatim demulserit, et perturbatam multitudinem summa omnium admiratione sedaverit. Hinc non modo se, aliosque Legatos ab imminenti liberavit discrimine, verum etiam ejus consilio, et prudentia res componi coeperunt: et mense Majo insequentis anni (11), opera praesertim Matthaei Senarega viri apud Genuenses summae integritatis, et prudentiae laude praestantis, aliorumque Administrorum ea Respublica novis legibus fuit firmata, civibusque pax restituta (12).

Genuenses Antistitem Faunum, et optimam ejus sacra jura administrandi rationem admirantes singulari benevolentia sunt complexi; et cum ei pro tanto beneficio gratos animos exhibere vellent, pretiosa dona, egregiamque auri summam ei miserunt. At Faunus gratias donatoribus egit maximas, ablatumque donum plane admiranda exemplo rejecit (13).

Haec praeclara gesta Augustum etiam Rodulphum eo nomine secundum moverunt, ut eum in statu Finalis constitueret Gubernatorem, Vicariumque Imperialem; ejusque opera, et prudentia uteretur potissimum pro componendis aliquibus controversiis, quae tunc inter Caesarem, et Regem Catholicum fervebant. Gravissimas has legationes ad Imperatoris, et Catholici Regis votum adeo feliciter est executus Faunus, ut Philippus II Hispaniarum Rex eum in amplissimum Senatorum Mediolanensium Collegium anno MDLXXXI cooptaverit, et paullo post ob

nes Moronus, et Paulus Odescalcus Pinnensium Episcopus pro Summo Pontifice, Petrus Faunus Episcopus Aquensis, ac nobilis vir Comes Dorlesbergensis pro Imperatore, Carolus Borgia, et Joannes Idiaquez pro Hispaniarum Rege. Archiv. Massarelli. Vita Gregorii XIII scripta a Cicarelli, et Can. Ferrario Vita del Ven. Pietro Giorgio Odescalchi Vesc. di Vig. pag. 35.

(11) 1576.

(12) Archiv. Massarelli.

(13) Ut constat ex relatione Comitis a Porta in Archiv. Armanni.

cognitam virtutem, et spectatam fidem suum intimum Consiliarium, totiusque Insubriae OEconomum generalem dixerit, atque ad amplissima alia munera extulerit (14).

Quibus curis, et honoribus auctus Faunus, intelligens quanti ad salutem gregis intersit Pastoris praesentia, cum non sine ipsius detrimento, aut periculo alienae custodiae, fideique committi possit, ipse proinde, cum tot curis distentus Ecclesiae suae praesens adesse non posset, et absens praeesse nollet, se sua sponte apud Gregorium XIII Episcopatu abdicavit anno MDLXXXV (15) quam tamen dignitatem, jubente deinde Sixto V, justis de causis resumpsit. Cum omnibus hisce muneribus, vel a Summis Pontificibus, vel ab Imperatore, vel a Rege Cathalico sibi commissis summa cum laude perfunctus esset, tandem ab eodem Rege Philippo ad Viglevanensem Cathedram translatus fuit Faunus die II Maii anno MDLXXXIX, ut infula Viglevanensis esset gravibus ejus jam perlatis curis, ac meritis tamquam quies, et praemium. Quocirca magnifica apparatus pompa, et maximo civium comitatu, qui ei advenienti honoris gratia obviam processerant, die IX Julii, idest Dominica secunda mensis memorati anni, Viglevanum introivit, statimque prima consilia in lustrandas aliquas suae Dioecesis Ecclesias convertit (16). Nec vero inter Episcopales curas, et sollicitudines omisit munia Apostolici OEconomi generalis; sed utramque dignitatem ea sustinuit prudentia virtutum omnium moderatrice, ut omnibus jure satisfaceret.

Sedente Episcopo Fauno, quinimo eo curante, in Oppido Gambolati quinque Capellani cum eorum Decano, novum veluti Collegium componentes sub nomine S. Defendentis, in possessionem suorum jurium sunt deducti mense Martio anno MDXCII, et in Templo S. Gaudentii Dioecesis Viglevanensis quotidianam, ut vocant, residentiam, aliasque functiones primum exercere coeperunt (17).

(14) Archiv. Massarelli, et Armanni.

(15) Archiv. Massarelli. Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. IV, pag. 331 et 822.

(16) Archiv. Cathed., Cancell. Episc., et Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 33.

(17) In Ecclesia S. Gaudentii Oppidi Gambolati anno 1557 die 14 Augusti per testamentariam legem erectae, et fundatae fuerunt quinque Capellaniae, unaque Decanatus a Francisco de Blanchis Praeposito S. Georgii in Monte Falcono Papiae, et cohaerede Cardinalis Archangeli de Blanchis Episcopi Theani appellati. Idem Cardinalis jam ab anno 1578 per testamentarias tabulas Romae elgatas plurima aureorum nummorum millia reliquerat, et praefato Praeposito Francisco Blanco, ejusque fratri Defendenti tuis in omnibus bonis haeredibus mandaverat, ut in sua Gambolati patria instituerentur Xenodochium, atque alia praestarentur opera ad egentium, atque infirmorum levamen, necnon ad erudiendos pueros, et dotandas puellas accommodata. Archiv. Eccles. S. Gaudent. Gambolati, Memorale S. Gaudentii Ecclesiae olim S. Pe

Tandem cum omnia suscepta munia feliciter explevisset Praesul Faunus, vitae quoque finem Viglevani implevit die IX Septembris anno MDXCII. Corpus ejus (18) sepulcro conditum fuit in sacello Divi Hieronymi Ecclesiae Cathedralis cum hoc epitaphio marmore inscripto.

PETRO FAVNO COSTACCIARIO EPISCOPO
PRIVS AQVEN. DEINDE VIGLEVANEN. SACR.
CATTH. MAIEST. IN DOMINIO MEDIOLANEN.
SENATORI . AC INTIMO CONSILIARIO EIV
SDEMQ. AC S. SEDIS APOST. OECONOMO
GENERALI . AD DISCORDIAS QVOQVE REIP
GENVEN. SEDANDAS . ET IN SENATV FINALIS
CAES MAIEST. VICARIO OMNIBVS HIS
MVNERIBVS STRENVE . AC SVMMA CVM
LAVDE PERFVNCTO . BONAVENTVRA FAVNVS
FRATRIS FILIVS.
HAERESQ. EX TESTAMENTO . P. C.
OBIIT V ID. SEPT. M D XCII
AETATIS SVAE AN. LXVIII

tri nuncupata (juxta tradita ab Episcopo Basilica Petri in Lib. *Novaria Sacra* pag. 40) tempore Gulielmi Tornielli Episcopi Novariensis circa annum 1156 Praepositum habuit, et Canonicos; sed cum Canonicorum Collegium pene extinctum esset, additi sunt Cappellani instituti ex opibus Cardinalis Archangeli Bianchi Ordin. Praedicator.

(18) Non immerito conjicitur, Patrem Martyrem Ponzonum Novariae Episcopum venisse Viglevanum ad persolvendas exequias Praesuli Costacciario.

Apud Dominum Massarellum de Massarellis Equitem Iguvinum extat effigies Praesulis Petri Fauni hac inscriptione

PETRVS FAVNVS COSTACCIARIVS EVGVBINVS
PONTIFEX AQVENSIS DEIN VIGLEVANENSIS
S. R. I. PRINCEPS MAXIMILIANI II. A CONSILIIS
PHILIPPI II. HISPANIARVM MEDIOLANI ADHINC OTER
ET EIVS VRBIS SENATOR
A RODVLPHO II. IMPERATORE VIARVM FINALIS CONST. TVTVS
INTER S. P. CONCILII TRIDENTINI VETEREM ECCLESIAE DISCIPLINAM
VINDICAVIT
AC BONO REIPVBLICAE VNIVERSIS ANTIQVIS LEGIBVS REFORMAVIT
PACEM ET TRANQVILLITATEM CIVIBVS RESTITVIT
ORATOR PHILOSOPHVS THEOLOGVS AETATIS SVAE PRAESTANTISSIMVS
VIXIT ANNOS LXVIII OBIIT ANNO DOMINI MDLXXXXII
SEPVLTVS IN ECCLESIA VIGLEVANENSI
CVM LAPIDE SEPVLCHALI

Vacante Episcopali Cathedra, gravissimo Canonicorum judicio dignus denuo habitus est Archidiaconus Hieronymus Rosamarina (19), qui tertio constitueretur Vicarius Capitularis, ejusque fidei, ob summum doctrinae, et prudentiae nomen, sacrorum omnium administratio commendaretur.

(19) Viglevanensem Ecclesiam dum tertio moderaretur Vicarius Rosamarina, obtinuerunt Canonici a P. M. Clemente VIII amplificationem indulti vacationis a Choro: cum enim ex concessione facta a Gregorio XIII duo tantum Canonici eodem tempore abesse possent a Choro, atque ob eorum numerum denum et octo non omnibus infra annum datum esset frui vacationis beneficio, hinc iterum S. Concilii Congregationem supplicarunt, obtinueruntque anno 1593, tot posse ex ipsis a Choro abesse, ut omnes possint gratia vacationis duorum mensium integre frui quemadmodum patet ex authentica epistola Cardinalis Matthaei Congregationis Praefecti ad laudatum Vicarium data, quam hic ad verbum refertur: *Admodum Reverende Domine. Retuli ad Ss. D. N. P. Clementem VIII, alias felic. record. Gregorium XIII concessisse Canonicis hujus Ecclesiae Cathedralis, ut liceret eis abesse duobus mensibus anni, et interea distributiones quotidianas percipere, si modo verum esset ut ipsi asserebant, in distributionibus quotidianis omnes Canonicatuum fructus consistere: ea tamen conditione adjecta, ut id non permitteret diebus illis, quibus omnes Canonici residere tenentur: et ut non plures, quam duo Canonici abesse possint: addidique Sanctitati suae, Canonicos asseverare, affirmare, ex computatis diebus quibus omnes Choro assistere adstricti sunt, duobus tantum eodem tempore abesse permittitur, non posse omnes ob magnum Canonicorum numerum uti gratia duorum mensium. Propterea idem S. D. N. benigne annuens supplicationi ipsorum Canonicorum concessit, ut tot ex ipsis eodem tempore per vices designandas abesse possint, ut omnes gratia duorum mensium integre frui valeant: quam Sanctitatis suae voluntatem his litteris tibi significatam volui. Cui Deum propitium precor. Romae die 20 Septembris 1593. Subscript. Tuus in Domino Hieronymus Cardinalis Matthaeus. Inscript. Admodum Rev. Domino Vicario Viglevanen. Sede vacante deputato.*

CAPUT IX.

DE MARSILIO LANDRIANO

SEXTO VIGLEVANENSI EPISCOPO

SEXTUM implet Viglevanensium Episcoporum numerum Marsilius Landrianus Mediolanensis ex antiquissima apud Insubres familia, quae viris per omnes ferme aetates tum civilibus, tum militaribus, tum ecclesiasticis muneribus, honoribusque cumulatissimis mirum in modum claruit (1). Ex hac gente Horatius Landrianus Comes Vidighulphi ab Anna Vicecomite lectissima ejus conjuge plures suscepit liberos (2), inter quos Marsilium, de quo agimus, Fabricium Episcopum Ticinensem, et venerabilem Servum Dei Glycerium (3). Itaque Marsilius primum fuit Abbas S. Antonii Mediolani; mox Protonotarius Apostolicus, atque utriusque Signaturae Referendarius a Pontifice Maximo adscriptus, id ingenii, prudentiae, dexteritatisque specimen exhibuit, ut a Gregorio XIV (4) Apostolicus Nuncius ad Galliarum Regem delectus fuerit anno MDXCI ad firmum, et constans

(1) Jacobinus Landrianus anno 1330 a Ludovico Bavaro Imperatore ob singularia ejus merita insigni feudo Oppidi Vidighulphi in agro Papiensi donatus est. Vide Franciscum Sansovinum Hist. *De Famil. illustr. Ital.* pag. 119, Joannem Cermenatem Histor. Mediol. cap. 64, pag. 97 inter anecdot. Muratorii, Morigiam Histor. *Dell'antichità di Milano* lib. 3, cap. 9, et Bourlinum in *Elench. Famil. Mediol.*

(2) Ex stemmate genealogico Famil. Landrian. nobis communicato ab amplissimo Equite Nicolao Vicecomite, qui pro sua in omnes urbanitate plurimas de Episcopo Landriano notitias suppeditavit.

(3) Corpus Venerab. Glycerii Landriani quiescit Romae in Ecclesia S. Pantaleonis Scholar. Piar. cum epigraphe. Glycerii vitam conscripsit P. Alexius a SS. Conceptione.

(4) Henric. Davila Histor. *Delle guerre civili di Francia* pag. 565 et seq., Morigia lib. 2, cap. 11 *Della Nobiltà di Milano*.

adversus aevi illius heterodoxos opere, et consilio suo Catholicorum foedus sustinendum. Perhonorifica, ac difficillima ejus Legatio ad votum Apostolicae Sedis contigit. Quare Clemens VIII anno MDXCIII illum honoris causa Viglevanensem Episcopum (eligente Philippo II Hispaniarum Rege) publico elogio constituit.

Justis tanti Antistitis adventui a Clero, et Populo persolutis die XXV Maii anno MDXCIV, se se primo virtutum omnium exemplar Marsilius palam ostendit. Muneri suo rite exequendo se totum vigilantia, et sollicitudine praestitit. Lustrata penitius Civitate, et Dioecesi (5), tertiam Viglevanensem Synodum solemni modo, ac frequentia coegit anno MDXCV, in qua plura ecclesiasticam disciplinam spectantia, longe plura demandati gregis moribus instituendis utilia decrevit; eaque omnia typis imprimenda mandavit, addiditque accuratam visitationis descriptionem. Pias Sodalitates, alteram quidem venerabilis Eucharistiae Sacramenti in Parochiali S. Christophori Ecclesia instituit anno MDXCVII (6), peculiaribus indulgentiis ei obtentis; aliam in Ædicula S. Mariae ad Nives Sodalitii Mortis inscriptam anno MDXCIX, tertiam vero S. Margaritae virginis et martyris sub titulo B. V. Mariae de Monte Carmelo canonice erexit anno MDCII, habitum nigrum Sodalibus secundae congregationis, subobscurum vero tertiae attribuendo.

Interea dum maxima cum fide, et vigilantia commissam Ecclesiam moderatur Marsilius, a Clemente VIII, cui acceptissimus erat, (7) regendis nomine suo Bononiae, Romandiolae, ac totius Ravennatensis Exarchatus Provinciis Praefectus deligitur, quas summa integritate, justitia, ac lenitate ad magnum Apostolicae Sedis decus, ac Provinciarum utilitatem ita administravit, ut non vulgare sibi nomen, et optimi rectoris famam comparaverit. Etsi tunc temporis corpore absens esset, spiritu tamen gregem suum non oblitus, Viglevanensi Ecclesiae praesentissimus vices suas demandavit Bartholomeo Georgi Ordinario, ut ajunt, Metropolitanae Mediolanensis Ecclesiae Canonico Civitatem, et Dioecesim perlustrandi (8). Quod munus a Delegato magna fuit diligentia praestitum mense Novembris anno MDCII.

Marsilio Landriano Ravennatensem Exarchatum regenti, et petenti rite datus est adjutor in Viglevanensi Episcopatu Sebastianus Cattaneus Mediolanensis, de

(5) Acta Archiv. Cancell. Episc.

(6) Acta Archiv. Cancell. Episc., et MSS. Sodalitat. S. Christophori.

(7) Annales Familiae Landrianae.

(8) Archiv. Cancell. Episcop.

quo utpote electo Viglevani Episcopo breviter hoc loco est disserendum. Sebastianus igitur Cattaneus claro apud Insubres genere Mediolani natus est anno MDXLV. Adolescens in S. Eustorgii Coenobio Dominicanam institutionem prosequi decrevit, solemniaque vota nuncupavit: exinde philosophicis, dein theologicis doctrinis, jureque canonico imbutus, et exquisite eruditus fuit, ita ut idoneus illico visus fuerit, qui in suggestu, et cathedra alios doceret, ac praefecturarum munia in Ordine fungeretur. Cum idcirco magna de eo esset apud Sodales opinio, magnaque commendatio, ab illis Praefectus, seu Provinciae Administer creatur. Post haec Provinciae praefuit Hungaricae, ad quam restaurandam tam insigni opus erat Rectore. (9) etsi enim inter primarias Ordinis, antiquasque olim floreret, attamen ab excursionibus Turcarum, et haereticorum insectationibus longe lateque illa in regione furentium igne, et ferro adeo fuit dilaniata, foedata, ut penitus extingui videretur, quam ille suscitare, fovereque toto studuit animo, eamque ob eximium rerum usum, et summam, qua pollebat, prudentiam est moderatus. Singularibus ejus meritis, et litteris permotus Episcopus Princeps Salisburgensis Cattaneum sibi selegit theologum, et pastoralis sollicitudinis etiam adjutorem, ac ministrum, quem ut sibi magis devinciret, ut id sui juris erat, Episcopum Chiemensem Salisburgensis Ecclesiae Suffraganeum constituit anno MDXCI, rem approbante, et confirmante Clemente VIII Pontifice Maximo. Eam Ecclesiam summa cum laude, et animarum zelo per decennium rexit, et doctissimis illustravit scriptis; (10) et quod magni interest, vigilantissimi pastoris munus Chiemi, et Salisburgi simul implens, oves concreditas verbo, et exemplo pascere, atque ab eis lupos arcere intrepide curavit (11). In haec munia dum indefessis viribus incumbit Praesul Cattaneus, ad Viglevanensem Ecclesiam ab eodem Clemente VIII transfertur, ineunte seculo XVII, sufficiturque Antistiti Landriano cum futura successione, cui tamen praemor-

(9) Scriptores Ord. Praedicat. Tom. 2 num. 17, anno 1602, pag. 369, Eruditis Biblioth. Chronol. illustr. vir. Provin. Lombard. Centur. 4. pag. 157.

(10) Cattanei lucubrationes sunt: I volumen De Sacramento Confessionis; II Tractatus de Sacrosancto Missae Sacrificio; III De Purgatorio, IV De auctoritate Papae, V De censuris ecclesiasticis; VI De Jubilaeo, et operibus ...; VII De cultu Sacrarum Imaginum, atque Sanctorum; VIII Explicatio in Catechismum Romanum; IX Summula casuum conscientiae; X Tractatus de examine Ordinandorum, et plura alia opuscula tanto viro digna.

(11) De rebus gestis ab Antistite Cattaneo legatur Sigismundus Ferrarius in histor. De Rebus Hungaricis Ord. Praedicator., Argelati in Biblioth. Scriptor. Mediolanen. Tom. I par. 2. pag. 404 et Morigia Della Nobiltà di Milano lib. 2, cap. 14.

tuus in Episcopatu non successit. E vivis demum sublatus est Mediolani die xxviii Aprilis anno MDCIX, et sepultus in claustro S. Eustorgii, ut testatur inscriptio sequens ibidem marmore insculpta

SEBASTIANO CATTANEO EPISCOPO CHIEMENSI
PRAEDICATORII ORDINIS THEOLOGO
ARCHIEPISCOPI SALISBVRGENSIS VICARIO GENERALI ET SVFFRAGANEO
HOMINI LITTERIS MORIBVSQVE EXCVLTO VT EIVS TESTANTVR OPERA
QVI VIXIT ANNOS LXIV.
EVSTORGIANI FF PARENTI OPTIMO MOERENTES POSVERE
KAL MAII MDCIX.

Haec de Antistite Cattaneo dicta sint satis: nunc vero ad Episcopum redeamus Marsilium Landrianum. Ipse Viglevanum redux nihil deinceps solemnius habuit, quam publici boni studium, et procurationem: quare quartam indixit Synodum (12), in qua plurima decrevit, quae firmandis jam antea statutis congruerent. Clericos Regulares S. Pauli viros plane egregios, proventibus assignatis, Viglevanum advocavit (13), quibus deinde, ut incumberent erudiendis politioribus litteris pueris, Cives anno MDCXLVII publicum censum constituerunt (14), donationem ultro a magnifica Civitate Minoribus Capuccinis factam Templi S. Mariae de Crucifixo extra Urbis moenia constructi initio seculi XVII nomine totius eorum Ordinis quam lubentissime acceptavit, probavitque anno MDCVIII (15).

Eximius humanarum rerum, divitiarumque contemptor cum esset Marsilius, magnam aviti assis partem pro perficiendo Templo maximo, in cujus Sacrario jampridem lavacrum ex marmore construxerat (16), in puellis, aut matrimonio

(12) Archiv. Cancell. Episcop.

(13) Brambilla *Chiese di Vig.* pag. 171, et Archiv. Colleg. S. Pauli.

(14) Brambilla pag. 172, et Archiv. Civit. *

(15) Hoc hoc anno factum 1608 Religiosis Minoribus Capuccinis a Civitate datum fuerit Templum S. Mariae de Crucifixo, ipsi tamen jam prius in Viglevani suburbiis extabant: siquidem jam ab anno 1550 a Civitate ipsi dono acceperant Ecclesiam S. Mariae Lauretanae, et annexum Coenobium paulo ante constructum. Verum cum haec Ecclesia diruta esset, iterum fuit anno 1615 aedificata, et postmodum anno 1627 attributa una cum Coenobio Religiosis Viris tertii Ordinis S. Francisci. Aut temporis progressu, cum proventus ad alendos Religiosos non sufficerent, Coenobium, Decreto Innocentii PP. X anno 1652, fuit extinctum, redditus Clericorum Seminario adjudicati, lateres vero ad aedificandam Ecclesiae Cathedralis frontem fuerunt applicati, ut suo loco dicetur, cum de Episcopis Adurno et Caramuele erit sermo. *

(16) Ad uberiorem rei notitiam omittendum non

* S. Pauli aedes nunc conversae in publicum aedificium an 1807. *Editores*

* An. 1808 aedes B. M. V. de Crucifixo, et Coenobium in auctionariis tabulis referuntur. *Editores*

copulandis, aut virginum asceteriis collocandis, alendis pauperibus, pueri[s]que Christianis moribus imbuendis impendit. Praeter legata Congregationi Doctrinae Christianae Cathedralis suae incremento, et sacri Montis pietatis subsidio instituta, perpetuum constituit censum, onere imposito quotannis, recurrentibus Annunciationis B. M. V. solemniis, sex puellas inopes vestiendi, ac dotandi, et funebre anniversarium ad piacularem animae suae expiationem celebrandi (17). Insignem Cardinalem Mediolani Archiepiscopum Carolum Borromeum adeo coluit, ut ad ejus sepulcrum duo ex argento satis magna candelabra pietatis monumento dono miserit (18): pari devotionis affectu accensae, et ipsius generosi Praesulis ardore permotae Sodalitates Viglevanenses (quae primae in Divum Carolum hoc munus obivere) praetiosum vexillum divam imaginem gerens, festis musicorum choris, obtulerunt (19).

Adfuit, et subscripsit postremo Provinciali Concilio a Cardinali Friderico Borromeo Mediolani Archiepiscopo coacto mense Majo anno MDCIX, in quo omnia ferme Marsilii judicio sancita sunt; quinimo in eo conventu efficaciter egit, ut deligerentur Carolus a Basilica Petri Episcopus Novariensis, et Tullius Carretus Episcopus Casalensis ad urgendam nomine Provincialis Concilii penes Paulum V sacram B. Caroli Borromei apotheosim.

est, sub hoc Pontifice amplum Cathedrale Templum egregiae scenographiae ordinis dorici tandem absolutum fuisse, ad quod inchoandum, veteri diruta Ecclesia jam ab anno 1100 erecta (ut asserit Castor Nabilensis apud Sacchettum pag. 19, et 15, ac Brambilla pag. 13), religiosissimus Dux Franciscus II Sfortia Cheruuus, quatuor majores parastatas, et totidem a latere pro suffulciendo tholo cupola a fundamentis extruxerat anno 1532, et 1535, reliquam aedificationem prosequi cogitans, sed immatura morte praereptus, inceptum opus imperfectum reliquit. Quapropter pii Cives progressum post visitationem hujus Civitatis a S. Carolo Borromeo factam necessariam Templi constructionem agnoscentes, designatis fabricae Praefectis, rite impositis quibusdam tributis, collatis stipe, et ad sumptus supererogato in libram censu aerario, Basilicam cum additamento aequo ad magnam plateam in formam, quae nunc cernitur, paullatim redegerant, et perfecerunt anno 1606, sed absque tholo, et fronte facciata, quae diu progressu temporis, et suo loco narrabitur, quando de Episcopis Caramuele et Caliaeo dicemus in elegantem speciem fuerunt absoluta. Ipsius sacrae Ædis in similitudinem crucis confecta (cujus interna longitudo est ulnarum Mediolanensium 816, latitudo 59, non comprehenso S. Caroli Sacello, quod est extra typum, et altitudo usque ad fornicis culmen, non computato tholo est 54 ulnarum) inter alia praecipue eminent duo Altaria S. Joannis Baptistae et S. Caroli lectissimis marmoribus, et egregiis picturis paucis abhinc annis constructa. Sacra vero turris Ecclesiae Cathedrali proxima aedificata fuit circa seculi decimi quinti finem.

(17) Testam. Episcopi Landriani.

(18) Giussani *Vita di S. Carlo* Lib. VII, cap. XXIII, pag. 511.

(19) Idem Giussani pag. supradict., Antonius Bosilius vero Ord. Serv. in *itinerario Oratorum Mediolanensium* pag. 4, testatur universas Sodalitates Viglevanenses primas accessisse ad adorandum sacrum corpus B. Caroli.

Ad Ecclesiam suam rediens brevi tempore Viglevani constitit, Mediolanum ad alia expedienda negotia vocatus, ibi lethali morbo correptus est, quo ingravescente, rite, sancteque Ecclesiae Sacramentis refectus a Cardinali Friderico Borromeo Archiepiscopo supremam diem obiit anno MDCIX sexto Calendas Septembris, extremum ejus spiritum colligente eodem Cardinali Friderico, qui illi morienti semper adstitit. Praefuit Viglevanensi Ecclesiae annos sexdecim, menses quatuor (20). Ejus cadaver Viglevanum cum delatum fuisset, in Templo S. Francisci Minorum Conventualium repositum fuit, et funebri pompa elatum est in fanum maximum, solemnes exequias peragente Carolo a Basilica Petri Episcopo Novariensi, antequam Romam proficisceretur pro urgenda B. Caroli apotheosi. Sepulturae mandatum fuit in loco, quem sibi ipse in testamento delegerat, nempe infra primos gradus, quibus aram maximam versus ascenditur, lapisque ex marmore albo impositus fuit cum epitaphio, quod in testamento ipse jusserat conscribi his verbis (21):

MARSILIVS . LANDRIANVS . EPISCOPVS . VIGLEVANI
FREQVENTIORIBVS . CLERI
POPVLIQVE . AC . DEVOTI . FOEMINEI . SEXVS . PRECIBVS
SE . COMMENDATVM . CVPIENS . HOC . LOCO . VIVENS
MONVMENTVM . SIBI . ELEGIT
VIXIT . ANN. LXXI . MENS . II . DIEM . I
PRAEFVIT . ECCLESIAE . VIGLEVANI . ANN . XVI . MENS . IV
OBIIT . SEXTO . KALENDAS . SEPTEMBRIS
M D C I X

Vita functo Pontifice Landriano, memores Canonici qua laude jam alias Vicarii Capitularis officio perfunctus fuisset Archidiaconus Hieronymus Rosamarina, ut summa consensione eum ultimo renuntiaverint Vicarium Capitularem

(20) Errant qui Marsilium Landrianum dicunt vita functum die octava Septembris: nam ex libris mortuorum Ecclesiae Cathedralis liquido constat, eum mortuum esse Mediolani die 27 Augusti, et die 28 translatum ejus cadaver, eisque vero 29 sepulcro conditum fuisse. Hallucinantur ergo, dum pro sexto Calendas Septembris substituunt sexto Idus Septembris.

(21) Observatione dignum est, Marsilium Landrianum sibi sepulcralem titulum iisdem fere verbis conscripsisse, quibus S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis usus est pro suo monumento. Landriani Marsilii inscriptio frequenti calceamentorum attritu modo est omnino deleta.

CAPUT X.

DE VENERABILI

PETRO GEORGIO ODESCALCO

SEPTIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Novocomi, et alibi, ac praesertim Romae celeberrima est Odescalcorum stirps tum generis antiquitate, ac splendore, tum quod Supremum Romanae Ecclesiae Pontificem Innocentium XI, et praecellentes Cardinales, insignes Antistites, aliosque viros bello, ac pace, atque omnium virtutum genere spectatissimos singulis aetatibus praebuerit. Thomas Odescalcus ex hac nobili gente Patricius Novocomensis (1) vir integerrimus, et doctissimus Mediolani Senator (quem Cardinalis Archiepiscopus Carolus Borromeus testamentariae suae tabulae curatorem constituit) Catharinam Milium pari nobilitate, et virtute feminam cum sibi matrimonio adjunxisset, Cremonae, ubi tunc temporis publica judicia singulari fide et prudentia exercebat, genuit anno MDLXIV Petrum Georgium, quem die V Augusti sacro fonte expiavit Nicolaus Sfondratus tunc temporis Episcopus Cremonae, inde Pontifex Maximus Gregorii XIV nomine

Petrus Georgius, ut erat docili, et ingenua indole, tradita ab optimo genitore virtutum documenta reddebat moribus ad omnem modestiam, pietatemque compositis. Adolescens liberalibus disciplinis institutus utrique juri tam civili, quam

(1) Thomas erat frater natu major Pauli Odescalchi insignis Pennensium, et Atrensium Episcopi, qui gravissimis legationibus, et ecclesiasticis aliis muneribus excelluit quamplurimum.

Canonico operam dabat assiduam, in iisque lauream assecutus, ad studia sacra peculiari quodam animi impetu ferebatur, et quidquid ex ecclesiastica disciplina, et conciliis in practicos usus traduci posset, diligenter investigabat. Verum cum esset filius unicus, propositas a parte nuptias ob magnum animi sui in parentes obsequium non recusavit, et nobilissimam, ac lectissimam puellam Benedictam Guicciardam ex illustrioribus Vallis Tellinae familiis matrimonio sibi copulavit, qua paullo post acerba morte praerepta, quin ullos suscepisset liberos (2), ac defuncto pariter genitore, Deo vivere unice studens clericalem vitam est amplexus.

Romam profectus, a Sixto v Protonotarius Participans (3), utriusque Signaturae Referendarius, et Litterarum Apostolicarum corrector designatur, declaraturque assistens canonizationi S. Didaci, cujus virtutum laudes, eloquenti oratione habita coram Summo Pontifice, sacroque Cardinalium Collegio, complexus est, ejusque vitam postmodum descripsit. Sub Gregorio xiv in Ecclesiastica Ditione Firmanae civitatis Praefecturam summa cum laude gessit, et postquam ad Helvetios Legati Pontificii munus feliciter obivisset, ad Alexandrinum Episcopatum a Clemente viii anno MDXCVIII evehitur (4).

Episcopalem ergo provinciam, mandante Summo Pontifice, invitus quidem suscepit, sed susceptam sanctissime deinceps per decennium, et amplius administravit. Plures enim Dioecesim invisit, singulis annis Synodum celebravit, nec omisit quae ad promovendum divinum cultum maxime valerent. fuit siquidem suae pastoralis curae quadragenarum horarum orationem jam Romae, et alibi promulgatam, Alexandriam in singulos menses inducere, pietatem in Deiparam excitare, nam extra Civitatis moenia tres in Beatissimae Virginis honorem Ecclesias ibi aedificavit, multaque alia pia munera studiosissime obivit.

Dum eam regeret Ecclesiam Praesul Odescalcus, interfuit anno MDCIX Concilio Provinciali vii Mediolanensi, et in ea sexdecim Episcoporum corona, praesente regio Senatu, coram Catholicae Majestatis Administris, et Proceribus primus concionem habuit sane piam, et disertissimam; atque in gravissimo eo coetu maximam sui opinionem reliquit. Etenim Cardinalis Fridericus Borromeus Ar-

(2) Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. iv. colum. 325.

(3) *Le credit de Paul Odescalchi Eveque de Civita Penna, e Governeur de Rom obligea Pierre Georges d'allè alla cour du Pape Sixte v. qui l fit Protonotaire. Gregorie xiv le fit Governeur de Fermo, e Clement viii l'envoya Nonce en Suisse. Odescalchi s'aquitta trebien de ses emplois e a son retour le fit Eveque d'Alexandrie quil governo d'un maniere tres edifiant.* Morerius *Dictionnair historie* Tom. viii, verbo *Odescalchi*

(4) Non quidem anno 1582, ut asserit Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. iv, colum. 325.

chiepiscopus Mediolanensis, et Patres caeteri non modo praesentem Odescalcum alloquebantur, conveniebantque humanissime, quoad Concilium protractum fuit; sed etiam absentem salutabant crebro per litterarum consuetudinem, et identidem in difficillimis rebus eum consulebant.

Insubriam universam per id tempus moderabatur insignis Comes Petrus Fuentes de Azevedo equitum Magister, qui cum Episcopum Odescalcum plurimi faceret, eumque propius habere peroptaret, ejus merita valde commendavit apud Philippum III Hispaniarum Regem, qui jure patronatus eum nec suspicantem ab Alexandrino Episcopatu ad regendam Viglevanensem Ecclesiam transtulit anno MDCX die XXVI Maii. Alexandrinam itaque Ecclesiam vitiis purgatam, expolitamque christianis moribus, et optimis institutis auctam, et ad posteri temporis firmitatem sacratis legibus communitam, cumulatamque relinquens, Viglevanum, ut Pontificem decet, ingressus est die V Decembris ante memorati anni, ab universis civibus, qui sibi omnia fausta pollicebantur, solemni apparatu, parique laetitiae, et honoris significatione exceptus. Et dum Alexandrinus grex discedentem Pastorem verissimis lacrymis lamentabatur, Viglevanenses Antistitem optimum laetantes excipiebant.

Novo ergo regimini manum admovendo, nullum fuit pastoralis sollicitudinis genus, quod a priore Ecclesia in hanc non transtulerit Odescalcus; et quae semper in corde gessit, divinae videlicet gloriae incrementum, Ecclesiae decus omni studio promovit, constituit, firmavit. Etenim diligenter exploratis Cleri, populique moribus, statim octo distinctas ecclesiasticas Congregationes instituit, quarum consilio, ne quid minus considerate aggrederetur, in moderanda Dioecesi utebatur, et in iis veluti in sacra quadam palestra ad omnem rei ecclesiasticae perfectionem universus Clerus seorsim exercebatur. Jam probe intelligens quantam habere vim soleant oculi Pastoris ad salutem procurandam, et ad mala avertenda, universum gregem inspicere, vultumque pecoris cognoscere constituit; idcirco auspicatus est visitationem suae Civitatis, et Dioecesis, quam tribus vicibus rite lustravit, nimirum annis MDCXI, MDCXIII, MDCXVI multa disciplinae capita restituendo, multa emendando, et saluberrimis decretis plura constituendo. Iisdem ferme annis, quibus Dioecesim invisit, etiam tria Synodalia comitia verno tempore celebravit, et convocatos Sacerdotes graviter admonuit de eorum muneribus, et quidquid ad divinum cultum, et ad christianos mores restituendos pertineret, diligenter sancivit. Plures insuper pastorales epistolas ad Clerum,

et ad sacras Virgines, atque ad populum opportune dedit varias corruptelas, pravas consuetudines, quae frequentes, ac faciles peccandi afferunt caussas, amores videlicet profanos, choreas, compotationes, ganeas, obtrectandi, jurandi, blasphemandique licentiam, alios depravatos mores, aliaque scandala, quae in Civitatem, et Dioecesim, ut humanae fragilitatis est, passim irrepserant, in assiduis ad suum gregem ex suggestu concionibus acriter reprehendit, et summa vigilantia repressit. Ad terrenarum rerum contemptum, ad subsidiorum in egenos largitionem, ad sacras caerimonias rite obeundas facem ipse praeferebat. Tam in publicis, quam in privatis institutionibus ad omnium statum, conditionemque apposite docebat, et singulorum officia ita persequebatur, atque explicabat, ut omni auditorum generi christianae vitae documenta apostolico plane studio suppeditaret.

Dum maximis disciplinae curis est distentus, ea non praetermisit, quae ad ecclesiarum constructionem, et decus pertinebant. Novum enim Cathedrale Templum una cum ara maxima in honorem Divi Ambrosii solemni ritu consecravit anno MDCXII die XXIV Aprilis: decoram Ecclesiam sub titulo S. Mariae ad Crucifixum jam ab anno MDCVIII. Fratribus Ordinis minorum Capuccinorum a Civitate datam, et concessam pariter sacravit die XXVIII Maii MDCXVII. Extra urbem in loco divinitus praemonstrata fundamenta solemniter jecit die III Maii MDCXIII pro condenda Ecclesia S. Mariae Lauretanae, primarium lapidem propriis manibus porrigente Duce Philippo Austriaco Marochii Principe, cui ad animae salutem plurimum contulit inita cum nostro Praesule amicitia. Eodem die, et non procul a dicta Ecclesia etiam primum lapidem imposuit aediculae S. Mariae septem Dolorum: aras plures in honorem B. M. V. incredibili pietatis sensu vel penitus instauravit, vel aedificavit, vel inceptas perfecit. Ob singulare obsequium, quod omni vitae suae tempore erga Deiparam peramanter professus fuerat, antiquam B. Virginis statuam, quae in Viglevanensis Castelli delubro olim colebatur, magna populi frequentia, et mirifica civitatis laetitia, convenientibus pluribus Hispani exercitus Ducibus, et Equitibus, solemni ritu in foro maximo magnificentissime exornato coronavit die Assumptionis B. M. V. anno MDCXVI, et generali indicta supplicatione, transtulit cum altera vetusta, et depicta imagine B. Mariae inter varios musicales concentus ad amplum Ecclesiae Cathedralis Sacellum a se jam anaglyphis inauratis, et picturis illustratum (5).

(5) Locupletam festivitatis hujus caeremoniae narrationem descripsit et publicam in lucem edendam curavit Joannes Baptista Sala Canonicus Ecclesiae Novocomensis, qui etiam nostri Antistitis vitam conscripsit.

In Beatam Virginem tanta erat ejus pietas, illiusque cultum tum privatim, tum publice promovit, ut ab illius temporis scriptoribus vocaretur Marianus Antistes. De illa ubique sic studiose loquebatur, ut nemo non intelligeret, qua in eam charitate ferveret. jamque (prout gravissima Episcopatus munera sinebant) singulis sabbatis, et diebus Beatissimae Virgini sacris una cum suis Canonicis in Templo Cathedrali intererat antiphonae *Salve Regina*, et precibus Lauretanis. B. Carolum Borromeum pariter uti singularem suum patronum religiosissime venerabatur, et quoties Mediolanum pro Ecclesiae suae rebus pertractandis petebat, toties ad Sancti Archiepiscopi tumulum proficiscebatur, et in illius vitam tamquam in illustre praestantissimarum virtutum speculum inspiciens, ad ejus normam, ac formam actiones suas componere quammaxime studebat.

Per id temporis, petente Cardinali Friderico Borromeo Mediolani Archiepiscopo, Novariam petiit Antistes Odescalcus, ut solemni ritu justa persolveret Carolo a Basilica Petri insigni Episcopo Novariensi vita functo anno MDCXV; et non animae solum funebribus officiis, sacrificiisque summo splendore in Ecclesia majori celebratis suffragatus est, sed de illius Pastoris pietate, ac doctrina orationem sane eloquentem extemplo habuit.

Non solum commissum sibi populum verbo, exemplo, liberalibusque subsidiis pascebat, verum etiam ab eodem Cardinali Friderico Borromeo Archiepiscopo requisitus, amplissimam Mediolanensem Dioecesim nemini in Italia secundam invisit anno MDCXVIII, et in ea lustranda aspera quaeque patienter sustinens, eximia sanctitatis signa ubique reliquit.

Vigilantissimus Odescalcus summopere expetebat accuratam canonum Tridentini Concilii observantiam: quapropter exequi etiam cupiens jam statuta ab eodem Concilio Sess. XXIV de *Reformat.* Cap. VIII *de institutione Poenitentiarii*, cum consensu Philippi III Hispaniarum Regis Ecclesiae Viglevanensis patroni, ex vacante tunc in Cathedrali Ecclesia Canonicatu die III Augusti anno MDCXVIII erexit (1), et rite instituit munus Poenitentiarii ab omnibus civibus peroptatum. Introduxit orationem communem domi mane faciendam ad assignatum aeris campani sonum jam a Divo Carolo in Conciliis Provincialibus praescriptam, et a Summis Pontificibus multiplici indulgentia confirmatam: induxit etiam qua-

(1) Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 22, et Archiv. Cancell. Episc.

diegenarum horarum supplicationes pro expositione Sanctissimi Sacramenti habendas initio cujusque mensis, constitutis per vices XII Ecclesiis, postremis duobus bacchanalium hebdomadis pro avertendis fidelibus a mundi illecebris, et pro placanda ira Dei, qui eo praesertim tempore injuriis lacessitur frequentioribus, instituit piam consuetudinem recolendi quindecim sacra mysteria, quae per singulas sanctissimi Rosarii decades proponi solent, cum aliis praefinitis precibus. Quae omnia pietatis officia etiam nunc religiosissime observantur. Multa alia sunt, quae ad tollendas de medio corruptelas, et ad res sanctas instituendas praeclare decrevit, atque constituit, ut ex iis volumen confici facile posset. Varios etiam typis edidit libros (7) aptissimos ad recolendam Dominicam passionem, ad comparandum Deiparae favorem, atque ad temperandos effrenatos animi affectus.

Odescalchi virtutes ea sustentabat animi firmitas, qua praeditum, informatumque esse oportet Episcopum, ut Ecclesiae leges custodiat, jura defendat, licentiamque coerceat, et omnes in officio contineat. Ejus praesidio in Mortarienses Consules visitationis pastoralis procurationem obstinate solvere recusantes anathematis execrationem constituit (8): pari modo in contumaces aliquos piarum sodalitatum confratres anathema, interdictumque eorumdem Oratoriis pronunciavit. Pro restituenda ecclesiastica disciplina, et pro tutandis mensae Episcopalis juribus (9) nonnullas adversus Canonicos Ecclesiae Cathedralis sustinuit controversias; multumque ipsi laborandum fuit, ut confratres laicarum societatum induceret ad recitandum in eorum Ecclesiis officium parvum B. M. V., atque ad deferendam crucem cum velo in publicis supplicationibus (10).

Singularis semper fuit ejus in omnes charitas, et praesertim commendanda in pauperes beneficentia: nullis vigiliis, nullisque laboribus parcebat, ut omnes

(7) Episcopi Odescalchi lucubrationum mon... I. *L'introduzione di far orazione alla mattina in famiglia al suono della campana per il Te Deum del mattutino del Duomo* II. *L'esercizio di devozione ad onore della Beatissima Vergine*, dedicato alla Santità di Paolo V. III. *Istruzioni su ciò che si deve pubblicare da ciascun Parroco fra l'anno*, dedicato al Cardinale di S. Cecilia Vescovo di Cremona. IV. *La Vita di S. Diego dell'Ordine dei Minori Osservanti*: quibus operibus animarum saluti maxime profuit. Orationem funebrem pariter typis dedit, quam post justa solemnia in Cathedrali Templo recitavit die 10 Februarii anno 1612 pro Margarita Austriaca Hispaniarum Regina, et conjuge Catholici Regis Philippi III.

(8) Vita Episc. Odescalchi a Cantor. Ferraria manuscript. pag. 240 et Archiv. Cancell. Episc.

(9) Causam instituit in Canonicos jura aquarum promovendo. Archiv. Capit., ejusque histor. legal. pag. 45.

(10) Archiv. Cancell. Episc.

ad bonam frugem reduceret. Solebat enim criminum reos omnes verbo, et exemplo ad poenitentiam excitare; quos poterat flagitiis inquinatos sacra exomologesi expiare, bonos in officio continere, et ad meliora provehere; aegrotos, praesertim egenos invisere, eisque sacramenta ministrare, et alimenta praebere; ad morientium aedes die, ac nocte mirabili pietate, ac patientia accurrere, dissidia componere, et quidquid ex Episcopatus redditibus, quibus magna frugalitate utebatur, supererat, totum in pauperum orphanorum, viduarum, et pupillorum subsidium, nec non in Templorum decus copiosissime erogabat, imo majora in hosce usus conferre se non posse condolebat. Hisce permotus eximiae charitatis exemplis Joannes Franciscus Garonus Civis Viglevanensis pia instituta in pauperum levamen etiam ipse firmavit (11).

Charitas Odescalchi in omne proximorum genus se quam latissime effudit: incommoda enim, insectationes, injurias ab adversariis illatas incredibili moderatione tulit, et quae difficillima, et summa est christianae disciplinae perfectio, inimicos quoque, sibique ob apostolicum munus infensos homines, qui ejus morti causam dedere, amore, ac beneficentia amplexus est singulari, et intentatum sacrilegum facinus non modo in judicium adduci prohibuit, sed diligenter curavit, ne in vulgus efferretur. Caetera praeclara gesta prosequi si vellem, in tanta rerum copia, et dicendi ubertate mihi propositas epitomes leges praeterirem (12).

(11) Joannes Franciscus Garonus Idibus Aprilis 1614 per supremas tabulas haeredem instituit ex asse antiquam Sodalitatem Immaculatae Conceptionis B. M. V. onere imposito publicum instituendi pharmacopolium (quod deinde fuit appellatum *la Spezieria de' poveri*), ut gratis suppeditandi pauperibus aegrotis, Nosocomiis, ut descriptis Coenobiis necessaria ad valetudinem medicamenta, ut patet ex sequenti inscriptione aliquot post annos ad Pharmacopolae officinam in marmore sculpta

D. O. M.
PHARMACOPOLIUM HOC
SUB IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. M. V. PATROCINIO
AD INOPIAM AEGROTANTIUM PAUPERUM CONCIVIUM SUBLEVANDAM
FRANCISCUS GARONUS VIGLEVANENSIS PATRICIUS
GRATIS EREXIT
ANNO M. DC. XXXII. DIE XX. MAII

(12) Ut plene piissimi hujus Antistitis notitia habeatur, legatur ejus vita a Canonico Cantore Ferraria in lucem edita, et Innocentio XI dicata. Videatur *Italia Sacra* Ferdinandi Ughelli ut testis ocularis plura scribentis de perfecto vitae tenore, quem observabat noster Praesul, dum per singulos annos in *Morimundum* nobile vallis Ticinensis Cisterciense Monasterium ad aliquot dies secedebat, ut spiritualibus exercitiis specialiter operam daret. Consulatur praeter Hippolytum Maraccium Tom. II

Tandem cum corpus suum multiplici asperitatum genere in servitutem redegisset, ac se ipsum bonorum operum exemplar praebuisset, ac singulari prudentia, angelicisque propemodum moribus Viglevanensem Ecclesiam per annos decem moderatus esset, plenus meritis, ac omnibus Ecclesiae sacramentis refectus, ad aeterna laborum suorum praemia emigravit die VII Maii anno MDCXX aetatis suae LVI.

Etsi nulla fuerit ejus haereditas, solemne tamen funus quasi doloris, et pietatis triumphus habitum fuit a civibus Viglevanensibus, sacros ritus peragente Scipione Paschalio Episcopo Casalensi, qui cum universae civitatis luctum, et moerorem vidisset ob defunctum optimum Pastorem, eam nuncupavit *civitatem flentium*. Odescalchi cor translatum fuit in aediculam Lauretanam a se in suburbiis constructam; caeterae vero mortales ejus exuviae in Templo maximo ante aram B. M. V., quam mirifice semper coluerat, tumulatae fuerunt. Quae narravimus, brevi hoc elogio ad ejus sepulcrum marmore insculpto describuntur.

D. O. M.
PETRO GEORGIO ODESCALCO
PATRICIO NOVOCOM.
THOMÆ REG. SENAT. FILIO
ECCLESIÆ PATRIÆ ET FAMILIÆ LVMINI
HIC
VTRIVSQ. SIGNAT. REFER. PROT. DO PARTICIP.
LITTER. APLICAR. CORRECT. FIRMI GVBERNAT.
AD HELVETIOS LEGATI
MVNERA FOELICITER OBIVIT
EPISCOPVS ALEX. POSTMODVM VIGLEV.
VBIQ. EXTOVCTIS ARIS SCRIPTIS CODICIBVS PYSQ. INSTITVTIS
EXIMIÆ PIETATIS IN DEVM DEIPARAM ET SANCTOS
GLORIOSA EREXIT MONVMENTA
PASTOR ET PATER SEMPER VIGILANS ET PIVS
INTER PIOS LACHRYMAS NVNQVAM SATIS LACHRYMATVS
VT COELO DIVTIVS VIVERET CITIVS TERRIS
OBIIT NONIS MAY MDCXX
DEVOTI ANIMI TESTIMONIVM
PARENTI OPTIMO
I. C. RAIMONDVS ODESCALCVS
P.

Bibliothecae Marianae ellen Hieronymus Ghilinus, qui in *Virorum illustrium Theatro* laudes hujus Episcopi elogio numeris omnibus absoluto enarravit. Antistitis Odescalchi mentionem faciunt Acta Sanctorum a Bollandistis collecta Tom. II mensis Maii, pag. 884. Nuper vero clarissimus Alexandrinae Ecclesiae Archidiaconus, et Vicarius generalis Antonius Chenna in opere impresso 1785. *Storia dei Vescovi d'Alessandria*, de Episcopo Odescalco erudite egit

Post acerbam optimi Episcopi jacturam per moerentium Canonicorum suffragia Vicarius Capitularis electus fuit Canonicus Ecclesiae Cathedralis Paulus Camillus Colli Viglevanensis, cujus auctoritate eodem anno die XXIV Maii ad piacularem animarum expiationem fuit institutum in Ecclesia Cathedrali Sodalitium ad aram mortuorum nuncupatam (13).

Antistite Odescalco vita functo, meritorum ejus fama non desiit; etenim, cum Viglevanenses, et finitimi populi eum semper habuerint tamquam virum sanctitate religioneque praestantissimum, nonnulli se eidem in adversis commendarunt, seque ejus praesidium expertos esse asseverarunt; quare, sanctitatis ejus fama percrebescente, multi deinceps eadem spe excitati ejus deposcere patrocinium perrexerunt. Qui cum saepe fierent votorum compotes, eo res cessit, ut anno MDCLXXII regium Canonicorum Viglevanensium Collegium supplices ad Cardinalem Benedictum Odescalcum (qui postea sub Innocentii XI nomine Summus Pontifex fuit renunciatus) dederit litteras etiam atque etiam petens, ut auctoritate apostolica judices decernerentur, qui in res inquirerent diligenter, testes in judicio juratos exciperent, et in acta referrent quae ad Episcopi Odescalchi mirabiles res gestas, ac memoriam pertinere maxime intellexissent. Res in acta referri coeperunt, sed causa ultro non processit.

(13) Brambilla, *Chies. de Vig.* pag. 70, et Archiv. Cancell. Episc.

CAPUT XI.

DE FRANCISCO ROMERO

OCTAVO VIGLEVANI EPISCOPO

Franciscus Romero Hispanus, Vallisoleti nobili genere natus (1), et liberalibus disciplinis brevi informatus, omnia extra Deum levia, atque inania esse didicit. Quare Toleti apud Carmelitas antiquiores professionem emisit die xxx Septembris anno MDCVII. Post emensum philosophiae, et theologiae cursum lauream doctoralem acquisivit, sacram edocuit theologiam, de rebus divinis ad populum cum plausu dixit vir consilio, et religione insignis, eloquentia, ingenio, et doctrina admirabilis, quibus titulis, crescente ejus fama, Archiepiscopatu Anxanensi, seu Lancianensi in Aprutio primum ornatus fuit die XIV Maii anno MDCXVIII (2), deinde a Catholico Hispaniarum Rege Philippo III, cui quam acceptissimus erat, jure patronatus ad hanc Sedem die XI Januarii anno MDCXXI translatus fuit (3), retento Archiepiscopi titulo, et nacta mense Februarii Episcopatus possessione, Viglevanum venit; ubi statim pro recto suae Dioecesis regimine rata habuit, ac confirmavit statuta, et leges jam ab immediato venerabili suo Decessore latas: et quamvis humanarum, divinarumque facultatum scientia polleret, singularia tamen suae moderationis argumenta ubique praebebat, tantamque apud omnes existima-

(1) Ejus parentum nomina frustra quaesivimus in Actis Romanis, et in Archivio Hispanis

(2) Bibliotheca Carmelit. Tom. I, pag. 511, et 509

(3) Eadem Bibliotheca, et Ughelli Tom. IV. *Ital. Sacr.* colum. 823

tionem brevi est adeptus, ut piissimus Philippus Marrochii Princeps (qui ob praeclaram suam indolem, ejurata superstitiosa Alcorani lege, Christianae veritati, operante Dei gratia, nomen dederat, jamque decem ab hinc annis Viglevani commorabatur) cum die ultima Octobris anno MDCXXI testamentariae suae tabulae praefectum, et curatorem constituerit, assignato ex usitata munificentia Ecclesiae, et pauperibus universo asse (4) qua postrema voluntate probam vitam pari morte conclusit die IV sequentis Novembris, sepultusque fuit in Ecclesia Cathedrali prope parastatam turris campanicae (5). Arcana Supremi Numinis providentia quammaxime admiranda est, hac nostra fere aetate, qua Christiana torpescit pietas, frigescit charitas, et morum corruptela triumphat, Principem Turcam unigenam Mulei Muhamedis Regis Marrochii, et Fessae, ad verae fidei agnitionem pervenisse, atque in ea omnium moderationum exemplar praestantissimum se praebuisse Ejus vitae, morumque mutationi plurimum contulit potentissimus Hispaniarum Rex Philippus II, qui eum de sacro solemnis baptismatis fonte suscepit, eumque postea tamquam filium adoptivum plurimis annuis proventibus donavit (6)

Demolita interea sacrarum Virginum Ordinis S. Dominici sub titulo Deiparae in coelum assumptae veteri Ecclesia, anno postero, scilicet MDCXXII, Sanctissimae Trinitatis die novi Templi lapidem primum benedixit, ac in fundamentis posuit solemni ritu Archiepiscopus Romero, quod in nobilem, et splendidam formam, prout cernitur, extructum, absolutumque fuit anno MDCXXIV sumptibus, et eximia liberalitate Agnetis Riberiae de Castella nobilis matronae Hispanae (7)

Duae celeberrimae constitutiones per haec tempora emanarunt Romae, quibus,

(4) Testamentariae hujus Principis tabulae asservantur in Archiv. Capitul

(5) Ubi depicta ejus imago cernitur

(6) Quae de hoc Principe hic sunt narrata nobis tradita fuere ab urbanissimo Abbate D. Juliano de Bueno Hispano, taliaque suppeditavit documenta, ut, favente Deo, commentarios hujus Principis Italico sermone quamprimum simus edituri

(7) Pia, et dives haec foemina (quae erat filia Hispaniensis Andreae Riberiae civitatis, et arcis Viglevanensis Gubernatoris) ut benevolentiam, animique sui propensionem testaretur summam erga Dominicani Collegii Virgines, quod haberet inter ipsas adscriptam Antoniam Mariam sororem germanam, aedem sacram, et coenobium vetustate labefactatum a fundamentis reaedificavit, atque amplificavit, eamque ornamentis, pretiosaque supellectili instruxit, et tribus Sacerdotibus, ut Sacrum quotidie ibi facient, annuos proventus assignavit. Vide narrationem historicam Monial. S Dominici pag 10, et Biumbillam, *Chies. di Vig.* pag 132, et seq., ac quae diximus pag 37, not. 37 *

* An. 1811 templum in publicum translatum atque ... [illegible]

Editores

anno videlicet MDCXXV die XIII Martii, et II Octobris, decrevit, declaravitque Summus Pontifex Urbanus VIII, ne illorum omnium, qui cum sanctitatis, aut martyrii fama decesserant apponerentur imagines, vel aliud quidquam in Ecclesiis, quod cultum, venerationemque praeseferret, antequam a Sede Apostolica canonizentur, aut inter Beatos recenseantur. Obsequens igitur Pontificis mandatis Archiepiscopus noster interdixit eodem anno festum, omnemque publicum cultum erga Beatum Matthaeum Carrerum inclyti Ordinis Praedicatorum cum praeclara sanctitatis opinione Viglevani denatum die V Octobris anno MCDLXX (non vero anno MCDLXXI (8), prout aliqui Scriptores per errorem tradiderunt) cujus sacrum corpus ad haec usque tempora summa religione magnifice asservatur in amplo, et egregio subterraneo sacello ad hoc constructo in Ecclesia S. Petri martyris ejusdem Ordinis.

Interdictum hujusmodi ita perculit animos Viglevanensium, ut rumor invaluerit magnus in tota Civitate; ipsi enim usque ab anno MDXVIII Beatum Matthaeum sibi delegerant Patronum, freti vel maxime vivae vocis oraculo Sixti IV Pontificis Maximi, qui sanctitate Carrerii, et miraculorum fama permotus concesserat anno MCDLXXXII, ut, sacro ipsius Beati corpore honorificentius elato, a Viglevanensis Coenobii Fratribus Ordinis Praedicatorum anniversaria Dedicationis Ecclesiae die, qua is in caelum migravit, solemnis ejusdem fieret in divinis officiis commemoratio (9).

Qua de re Civitatis Primores una cum praedictis Fratribus supplices dedere litteras ad supremam Inquisitionis universalis Congregationem, quae, re serio inde discussa, attento praecipue Sixti IV oraculo, cultuque jam prope immemorabili, statuit anno MDCXXV die II Decembris Litteras dandas esse ad Episcopum Viglevanensem, ne cultum impediat ulterius B. Matthaeo a saeculo, et amplius praestitum, cum non sit de comprehensis in paragrapho *Declaramus* (10) Quocirca redeuntibus anno MDCXXVI ejusdem Beati solemnibus Sacra in ejus honorem ritu publico sunt celebrata.

(8) Vide quae de hoc Beato diximus pag. 12, not. 34.

(9) Haec omnia excerpta fuerunt ex Archiv. Cancell. Eccl. Civitat. et Coenobii S. Petri mart.

(10) Laudatum vivae vocis oraculum, et decretum dictae Congregationis una cum epistolis et ad Archiepiscopum Romerum, et ad Patres Dominicanos Viglevanenses per extensum refert ob immemorialis cultus Scriptura, ac Summus Pontifex Benedicto XIV in suo aureo opere *De Servorum Dei beatificatione, et Sanctorum canonizatione* Lib. II. cap. 24, § 2, ubi eruditio admodum de nostri Beati immemorabili cultu ... Lege Bollandistas in *Act. Sanctor.* mens. Octobr. Tom. IV, pag. 2..

Interea vigil Pastor gregis sui lustrationem inchoaverat mense Septembris anno MDCXXI, a qua ob valetudinem minus firmam cessavit interdum, eamque resumpsit per intervalla, duravitque ad annum usque MDCXXVI, quin eam absolveret. ea data occasione cum iterum nollent Oppidi Mortarae Consules lustrationis impendia solvere, anathematis poena eos confixit, qua deinde sublata, Senatus Mediolanensis jussit Consules debitum solvere absolute (11). Hisce prope temporibus Religiosis quarumdam Ordinum viris, qui aetatis suae annum quadragesimum non explevissent, sub poena suspensionis, et excommunicationis latae sententiae edicto vetuit, ne sacras foeminarum confessiones exciperent. Interim vero ingravescebat morbus; qua de re Neapolim se contulit, ad exitum vertente anno MDCXXVII, ut illius aëris beneficio convalesceret, sed frustra: etenim post menses nonnullos Mantuam novam, seu *Matritum* in Hispania profectus est eadem de causa, ibique usque ad suum obitum est demoratus.

Absente Episcopo per sexennium, et ultra, hanc Ecclesiam regebat Joannes Antonius Bonfilius Vicarius generalis, et Decanus, ac deinde Templi maximi Praepositus, cujus tempora difficilia multum fuere ob annonae caritatem, atrocia bella, et epidemicam luem, quae annis MDCXXX, et MDCXXXI Viglevanum, universamque Mediolanensem Provinciam pervaserat. At in tot, tantisque rerum calamitatibus animarum saluti, divinique cultus incremento pro viribus consulere non destitit unquam, totusque fuit, ne malum latius propagaretur, neve pestifero morbo laborantibus ulla deessent corporis, animique subsidia. Illud in primis memorandum, quod eo potissimum auctore constitutum est extra urbis moenia loemocomium, que pestifero tacti morbo curarentur, ibique primum lapidem superstruendae Ecclesiae sub titulo S Sebastiani ipse jecit die VIII Novembris anno MDCXXX (12), quae, collata piorum hominum stipe, incepta, atque ad exitum perducta fuit; quaeque deinde opportunitatem praebuit extruendi ibi satis affabre Coenotaphia, quibus omnium cadavera tumularentur. quod opus faxit Deus, ut quamprimum perficiatur.

Vicario Bonfilio gubernante Ecclesiam, et suffragiis annuente suis, jam superius laudata Agnes Riberia de Castella sacellum sub Praesentationis B M V nomine una cum orphanotrophio fundavit anno MDCXXX, ut duodecim ibi alerentur puellae, quas deinde eadem religiosa Matrona, mortuo conjuge Michaele Lancio Sena-

(11) Acta Archiv Cancell. Episc (12) Brambilla Chies di Vig pag 160.

tore Mediolanensi, ac Catholici Regis in rebus Italicis Consiliario, post varia legata testamento haeredes fecit ex asse die XIII Decembris anno MDCXLI (13)

Propitiato tandem Numine, pacata Insubria, cessata peste, vulgatum est inter belligerantium Principum Legatos pacem fuisse compositam, subscriptamque die VI Aprilis anno MDCXXXI in Civitate Clarasci (14), ex qua Canonicus Gianolio scriptor harum rerum ortum duxit, propterea Bonfilius induxit statim supplicationes solemnes, quibus Viglevanenses immortali Deo persolverunt gratias, votique compotes facti hilares, erectique in summam rerum omnium secundarum spem laetabantur (15).

Sed jam redeamus ad rem nostram, cum gravi, diuturnoque morbo laboraret

(13) Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 473, ubi refert Orphanotrophii institutionem.

(14) Praeclarissimus Comes Carolus Secundus Salvatoris Romilion Patricius Clarascensis, Regis Sardiniae nobilis Cubicularius, magister caeremoniarum in Aula regia, et exterorum Legatorum introductor memoriam enunciatae pacis in suis aedibus subscriptae perennem reddidit marmorea tabula hoc modo inscripta

ISTHIC
VICTOR AMEDEUS I SABAUDIAE DUX CYPRI REX
CONFOEDERATIS CAESAREIS GALLICISQUE LEGATIS
MAGNA MONTISFERRATI PARTE ALBAQUE POMPEIA
IN DOMINIUM RECEPTA
ANNO MDCXXXI PACIS FOEDUS ICIT

Aderant ibi in Comitiis pro constituenda pace in civitate Clarasci celebratis nomine Romani Pontificis Urbani VIII Praesules Jacobus Panzirolus, et Julius Mazzarinus, qui fuerunt inde insignes S. R. E. Cardinales, nomine Caesaris Ferdinandi II Sycundus Matthaeus Galassus Imperialis exercitus Commissarius generalis, et Octavius Piccolominaeus Dux Amalphis, Princeps S. R. I., et aurei velleris eques torquatus, legationem pro Rege Christianissimo fungebantur Joannes Sabboet de Thoiras Galliae Mareschallus et Abel Servient de Sotiera regius Consiliarius et Senatus Burdigalensis primus Praeses, pro Rege Catholico Philippo IV Comes Joannes Baptista ab Ecclesia peditatus Hispani Tribunus, et Marchio a Sancta Cruce Mediolani Gubernator, agebant vero pro Sabaudiae Duce Amedeo I Augustus Manfredus Scaglia Comes Verrucae eques torquatus supremi Ordinis SS. Annunciationis, Guido Villa Marchio Cilliani Ordinis SS. Annunciationis eques torquatus, et Amedeus Brutius Comes Albognani, primus Pedemontani Senatus Praeses pro Mantuae et Montisferrati Duce Carolo I Gonzaga Trajanus Guiscardus Marchio Carri, et Villanovera magnus Ducalis Cancellarius, et supremi Magistratus Cameralis S. Eusebii Praeses Archiv. claust. Domus Salvatoris. Blanc *Histoire de la Royale Maison de Savoye*, et Dumont *Corps diplomatique* Tom. VI, part. I, pag. 9.

(15) Hoc eodem anno 1631 die ... Julii Decanus, et Capellani Ecclesiae S. Gaudentii Oppidi Gambolati, attenta redditium diminutione, obtinuerunt a Supremo Pontifice Urbano VIII privilegium reducendi quotidianam eorum residentiam ad singulos dies festos, ad Quadragesimam et ad totam octavam SS. Corporis Domini. Quapropter Apostolicum rescriptum fuit commissum Vicario Bonfilio, qui de rerum expositarum veritate jam certior factus, publico decreto die 10 Aprilis anni 1632 omnia confirmavit. Archiv. Eccl. S. Gaudentii Gambolati. Vide quae diximus pag. 71.

Archipraesul Romero, quum ullam sanitatis spem portenderet, eo ingravescente vehementius, mortalitatem exuit Mantuae novae, seu *Matriti* in Hispania die XVI Julii anno MDCXXXV [16], vix incepto aetatis suae lustro undecimo. Ejus cineribus locus datus fuit in Ecclesia sui Ordinis Carmelitici absque sepulcrali elogio [17].

Vix accepto hujusce mortis nuncio, regii Viglevanenses Canonici rite convocati Petrum Franciscum Cocchium collegam suum elegerunt Vicarium, quem vocant Capitularem [18]. Vir iste eximius jampridem jus dixerat in diversis Latii urbibus, dumque erat Episcopalis sedes adhuc suo viduata Pastore, Primicerius fuit, Decanus, Archidiaconus, Archipresbyter, ac demum a successore Episcopo Vicarius generalis designatus. Haec inter Cocchius, instante Joanna Eustachia nuncupata a Cruce, quod crucem in pectore gestaret semper, sacras Virgines sub regula S. Clarae ab ipsa congregatas sub obedientia admisit Ordinarii, aegre ferentibus Religiosis quibusdam viris, quorum Ordini parco, qui variis eum technis distinebant frustra, ut ab incepto desisteret, molestiisque afficiebant plurimis [19]. At vere mitis Praesul dissimulavit omnia prudentissime, ac nihili duxit.

Illud est Cocchio in primis illustre, quod celsissima Princeps Maria a Sabaudia inclyti Caroli Emmanuelis I Sabaudiae Ducis filia, quae Viglevani cum aulico suo famulatu tunc temporis commorabatur, plurimi eum fecerit ejusque consilio propterea in elargiendis eleemosynis saepenumero uteretur. Praeterquamquod haec Princeps christianae pietatis laude spectatissima voluit per eumdem Vi-

(16) Hallucinatus Ughelli Tom. IV, *Ital. Sacr.*, ubi asserit eum obiisse anno 1647 die 4 Febr.

(17) Etsi nulla ad Archiepiscopi Romero sepulcrum extet inscriptio, memorabilia tamen eruditionis ejus monumenta sunt: I. *Commentaria in Libros IV Sententiarum.* II. *Sermones Quadragesimales.* III. *Sermones per annum.* IV. *Dissertatio de auctoritate Principum in populum.* V. *Antonii Arozteguí Equitis S. Jacobi Elogium.*

Franciscum Romero memorant Bibliotheca Carmelitarum Tom. I, Emmanuel Roman de Scriptor. Ord. Carmelit., Allegrous Camenatus, et Daniel a Virgine Maria etc.

(18) Approbante Vicario Capitulari Cocchio anno 1636 die 24 Octobr., sumptibus Jacobi Semporstenui militum Ducis, ac deinde Cremonensis Ditionis Praefecti instituta fuit in Templo S. Mariae Gratiarum Minor. Observan. sacra Societas sub titulo S. Sepulcri, cujus sodales, vesperascente feria sexta majoris hebdomadae, religiosa pompa solemnem luctum celebrant Divini Redemptoris, atque ornatissimam ducunt supplicationem, tota urbe, qua supplicatio progreditur, luminaribus illustrata, aliisque ornamentis ad pietatem composita, Archiv. Minor. Observan., Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 104, et relatio Romano facta a Vicario Cocchio.

Hoc anno et seq. iterum Viglevanenses bello affligantur; etenim Somaglia in lib. *Alleggiamento dello Stato di Milano* pag. 274 haec habet: *Il Cardinale Trivulzi col Principe D. Ercole suo figlio l'anno 1637 sotto il governo in Milano del Marchese di Leganes si portò a Vigevano, e sloggiò il Cardinale della Valletta co' Francesi.*

(19) Vita fundatricis Joannae Eustachiae a Cruce cap. 8, pag. 5 et 9.

carium, ut publicae fidelium venerationi in Ecclesia hujus Castri eleganter admodum ornata sacrum exponeretur linteolum, quo involuta fuit sanctissima Sindon Taurinensis cum aliis insignioris notae reliquiis, quas secum in suo deportarat adventu (20). Convenere autem quamplurimi anno praesertim MDCXLII, ut inviserent, tangerentque sacra hujusmodi pignora, ex quo narrant plura evenisse prodigia: easdem pariter reliquias inter armonicos concentus videndas dedit sacris Virginibus Ordinis S. Dominici, in quarum monasterium pientissima Princeps una cum duodecim suis matronis eodem anno bis est ingressa, atque cum ipsis Monialibus in claustro binas transegit dies incredibili propemodum animi sui voluptate (21). Caeterum illustris haec foemina tanta benignitate, et clementia hujusmodi Virgines complectebatur, ut etiam absens commendarit ipsas summopere Principi Thomae fratri suo, Gallicani exercitus supremo Duci, ne in Viglevanensi obsidione aliquid detrimenti caperent. Res bene cessit: in tanto enim infortunio nihil damni pertulerunt (22). Eadem benignitate Cives omnes Viglevanenses est prosecuta (23).

Plurima Vicarius Cocchius una cum regio Capitulo perpessus est incommoda, variasque sustinuit controversias in tutandis Ecclesiae juribus adversus hostium copias, qui mense Septembris anno MDCXLV pretiosiorem Sacrarii Ecclesiae Cathedralis supellectilem depraedari intentabant (24), et tunc temporis tormentis bellicis, reliquisque rebus ad oppugnationem pertinentibus obsessam tenebant arcem Viglevanensem. Gallorum enim exercitus jure belli urbem, et agros late populabatur, Viglevanensis arcis oppugnationem urgebat; tantaque fuit oppugnationis vis, ut diebus minus viginti quinque, a quo die oppugnari coeperat, a strenuo Principe Thoma de Sabaudia Gallicani exercitus supremo Duce arx capta fuerit

(20) Vita Fundatr. Joannae Eustachiae a Cruce cap. 2, pag. 10, et narratio historica Monial. S. Dominici ad ann. 1642, pag. 22.

(21) Eadem narratio historica Monial. S. Dominici ad ann. 1645, pag. 24, et 25.

(22) Eadem narrat. histor. pag. 25.

(23) Ex quibus scribit de hujus Principis animo erga Viglevanenses Hieronymus Ghilini in libro *Annali d'Alessandria* pag. 254. *Alli 23 di Agosto 1645...... La presa di questa piazza (cioè di Vigevano) avrebbe alcuni mesi avanti avuto effetto, se non fossero stati gli rispetti dell'Infanta Maria sorella del Principe Tomaso, che ivi era dal Rè nostro Filippo IV suo cugino alle di lui spese trattenuta, la quale avvisata dal fratello a levarsi con legittimi apparenti pretesti da quella città, fu necessitata accondescendere alla domanda, e nella di lei partenza, per l'amor grande, che a tutti quei cittadini portava, si compiacque d'avvisarne alcuni del pericolo, che gli soprastava per l'esercito dei Francesi, dal quale sarebbero stati assaliti, e che perciò con ogni possibil maniera procurassero di sottrarsi dall'imminente travaglio ec.*

(24) Archiv. Capitul. Vigl.

die XV Septembris [25], factaque ab Hispanis deditione sine ulla conditione ex arce efferendi quidquid cives ibi ad majorem securitatem deposuerant, infelices Viglevanenses omnia sua pretiosiora, melioraque amiserunt [26]: ea occasione Canonici per aliquod tempus a divinis vacare coacti fuerunt, Coenobium S. Petri martyris, et Ecclesia S. Rochi, aliaeque aedes prope arcem sitae funditus fuerunt eversae [27].

Sub fine hujus anni per dies triginta duos obsessa iterum fuit eadem arx cum civitate ab Hispanis copiis, quibus praeerat Marchio de Velada, et tandem ab ipsis recuperata die XVI Januarii anno MDCXLVI.

Pacatis rebus, ac saeviente alibi marte, primum subterraneum Sacellum construi inceptum sub ara maxima S. Petri martyris, intermissum jamdiu propter hostium incursiones, ut ibi decentius, nobiliusque locaretur corpus B. Matthaei, inusitata omnium laetitia hoc eodem anno MDCXLVI absolutum, perfectumque fuit [28]. Quapropter, facto verbo cum Cardinali a S. Clemente Congregationis Rituum Praefecto, consilium ipse probavit, indictaque translationis die, nimirum vigesima septima Aprilis anno MDCXLVI, quemadmodum ex actis constat Episcopalis archivii, non vero antecedenti, ut aliquibus dicere placuit, Vicarius Capitularis Cocchius cum Primoribus civitatis tamquam testibus ad Ecclesiam convenit S. Petri martyris, progressusque ad sacellum B. Matthaei tunc nuncupatum, ubi aperto a Fratribus ejusdem ordinis marmoreo sarcophago, capsaque lignea, quibus conditum erat sacrum corpus, ingenti omnium admiratione sua-

(25) De obsidione Viglevanensi Muratorius Annali d'Italia ad ann. 1645 haec scribit: *Il Principe Tommaso Generale de' Francesi nel dì 21 d'Agosto valicata la Sesia senza trovarvi opposizione alcuna si spinse contro di Vigevano. Non tardò molto a capitolare la città, ed essendosi ritirato il buon presidio di Spagnuoli, e Napoletani nel Castello. Il Principe cominciò tosto gli approcci, e le batterie per superarlo: e quantunque trovasse gagliarda resistenza ne' difensori, pure nel dì 13, ovvero 15 di Settembre ebbe il contento di ridurlo a suoi voleri. Fu amaramente sentita in Milano la perdita di Vigevano ..... Ora perchè premeva forte al Marchese di Velada Governatore la ricuperazione di Vigevano, siccome città posta nel cuore dello Stato di Milano: da che ebbe fatti i necessarii preparamenti, nel dì 17 di Decembre al dispetto del verno andò ad accamparsi colà, e formò intorno ad essa città una ben intesa circonvallazione.* Anno vero 1646 idem argumentum prosequens: *Avea il Marchese de Velada sul fine dell'anno precedente messo l'assedio a Vigevano, risoluto di ricuperarlo dalle mani dei Francesi. La Città si arrendè tosto: e però tutti gli sforzi si rivolsero contro la Rocca, dove s'era ritirato tutto il presidio. La stagione cattiva, e le strade fangose non permisero al Principe Tomaso di recarle soccorso; laonde nel dì 16 di Gennajo dell'anno presente 1646 i difensori con patti onorevoli ne accordarono la resa. Ne fu ben lieta la Città di Milano.* Legatus Comes Galeatius Gualdo, *Istoria delle guerre.* Tom. I, pag. 38.

(26) MSS. Biblioth. S. Ignatii.

(27) Brambilla, *Chies. di Vig.* pag. 93, et 174, et seq.

(28) Archiv. Cancell. Episcopal., et Coenobii S. Petri mart.

vissimum perhibent odorem efflasse. Quotquot vero intererant, praecipiti quadam pietate abducti in genus procubuere sacras exuvias veneraturi. Corpus e capsis sublatum una cum capite (quod alias asservabatur in argentea capsula sat polite elaborata, singulisque annis cultui exponebatur publico) repositum fuit in recentem ex ebeno arcam argento, crystallisque ornatam magnificentius, ac dein jure obsignatam.

Postera autem die, eodem Vicario semper praesente, immo vero humeros supponente suos, civibus praecedentibus, et Clero, sacras inter modulationes ab antiquo altari, nunc Sanctae Rosae dicto, pluribus cereis stipatum facibus ad aram novi subterranei Sacelli sacrum pignus fuit translatum, ibique mansit per aliquot dies patentius appositum in mira populorum frequentia petrocinium ejus deposcentium, quod cives praesertim in summum discrimen adducti experti sunt saepe praesentissimum (29).

Expletis Viglevanensium supplicationibus erga Beatum Matthaeum, ejusque arca rite obserata, die XVIII Maii ejusdem anni, Hispaniarum Regis jussu, Comes Stabilis de Castella Insubriae Gubernator Viglevanum misit castrorum fossores quatuor centum, qui sine cunctatione, ope pulveris pirii in suffossos cuniculos immissi, universum propugnaculum trium mensium spatio everterunt, summa Civium jucunditate, quod pluries ipsis fuerat nimium exitiale; ac solo aequarunt prorsus. Id autem tribuendum esse B. Matthaei praesidio autumarunt satis pie nonnulli. Hunc vero Arcis locum, ubi armorum fragor, strepitusque militaris magnum civibus injiciebat horrorem, Divinae providentiae ordinatione admirabili, in collegium sacrarum Virginum sub vexillo S. Clarae militantium felicissime versum suspeximus, quarum pietate, et religione tota Civitas exultat, et recreatur; ac singularem earumdem in optima puellarum institutione sedulitatem maximis effert laudibus. *

(29) Haec omnia excerpta fuerunt ex Actis Archiv. Cancell. Episc., et ex Archiv. Coenob. S. Petri mart.

* An. 1810 Itali regni procuratores aedem cum monasterio S. Clarae publicarunt. Ea solo aequata, hoc in amplam privatorum domicilium erigitur. *Edit.*

13

CAPUT XII.

DE JOANNE GUTTIEREZ

NONO VIGLEVANI EPISCOPO

Joannes Guttierez natione Hispanus nobili genere natus est Cordubae in Vandaliciae Provincia anno MDLXXX (1). Ipse fuit ad utramque fortunam paratus, neque enim in secundis elatus, neque in adversis dejectus visus est unquam. Sacerdotio initiatus, summa virtute, ac singulari prudentia quadraginta, et amplius annis rebus ecclesiasticis incubuit (2), quo tempore inter Canonicos regiae, insignisque Basilicae S. Mariae a Scala Mediolani recensetur. Postea Archipresbyter ejusdem Basilicae nominatur. OEconomi vero generalis munus in tota Mediolanensi Ditione tanta cum laude exercuit, ut Philippus IV Hispaniarum Rex in locum demortui Episcopi Romero ipsum merito suffecerit anno MDCXXXVI. Sed varii, inopinatique adversantis fortunae eventus, nonnullaeque obortae de jurisdictione controversiae Pontificalem unctionem, adventumque ejus retardarunt per annos duodecim. Interea theologiae, et juris canonici lauream in Ticinensi Athenaeo consecutus (3), jam suscepta munia administrare perrexit. Caeterum cum esset animi magnitudine, et prudentia praeditus, rerumque agendarum cognitione apprime polleret, constantissime sustinebat omnia, fiebatque propterea, cum eum niterentur opprimere, ut inclaresceret magis. Tandem solis instar ni-

(1) Acta Romana nobis ab Amicis comparata
(2) Eadem Acta Romana
(3) Eadem Acta Romana

tidiar post procellas apparens anno MDCXLVIII die XVIII Maii publico praeconio Romae ab Innocentio X dictus fuit Pontifex Viglevanensis, et die septima insequentis Junii, idest Dominica Sanctissimae Trinitatis, consecratus; atque ut primum sibi licuit ex Regia munificentia suum adiit Episcopatum (4).

Squalebat eo tempore bellis, obsidionibusque jam prope confecta, aliisque tristissimis casibus perculsa tota Viglevanensis Civitas, sed multo magis amittendae libertatis metu conflictabatur, quam sub Hispaniarum Regibus incolumem adhuc servarat: agebatur enim Mediolani de alienanda in feudum Civitate, ejusque Comitatu (5). Quapropter simul atque increbuit hujusmodi fama, habitis illico comitiis, quatuor ipsa legavit Cives ad Mediolanensem Magistratum, qui, causa patriae perorata, serio contestati sunt apertissime, se velle omnino privilegia, se jura sua non modo tueri, atque defendere, verum etiam et vivere, et mori sub immediata Regis sui dominatione.

Interim vero Pastor Guttierez, Ecclesiae suae gubernatione adepta, nihil eorum praetermisit, in quibus gravissimum illud munus est positum. At dum assidua administratione sacrorum, Christianaeque fidei procuratione ad pietatem, justitiam, vitaeque castigatioris institutionem gregem suum excitabat, in morbum incidit, quem medici ipsi initio contempserunt, sed repentina appressus gravedine, labore, senioque confectus, ideoque sacro inunctus oleo mortalitatem exuit sub vesperas diei XX Martii anno MDCXLIX (6). Solemne ejus funus religiosissime celebratum fuit die XXIII ejusdem mensis ab Antonio Torniello Episcopo Nova-

(4) MSS. Biblioth. S. Ignatii, et Brambilla *Chies di Vig* pag. 38, ac Cantos Ferraria in *Vita Venerab. Petri Georgii Odescalchi* pag. 205 longam refergue epistolam Archipraesulis Adarso.

(5) Viglevanenses, cognito Magistratus Mediolanensis consilio super alienatione, seu in feudum concessione earum Civitatis, et Comitatus, certioresque facti de licitatione deliberata in favorem Quaestoris Marchionis Caesaris Vicecomitis, statim reclamarunt, omnique ope egerunt, ne Civitas sub feudali redigeretur potestate. Itaque die undecima Octobris hujus anni 1648 consilium habuerunt generale, cui interfuere Praetor, Consules, et Decuriones Civitatis, nec non Tribuni Plebis voluntatem populi aliminantes, in eoque speciales delegerunt Procuratores, videlicet Jureconsultum et Oratorem Michaelem Angelum Sacchettum, Ferrandum Silvam Bosium, Comitem Brunorum a Petra et Joannem Baptistam Pentalimpom et omnium Civium nomine agerent, et suppliciter coram Magistratu antiqua privilegia, jura, aliasque rationes exponerent. Illum permotus Magistratus gravem hanc quaestionem ad supremum Italicorum rerum Concilium in Hispania detulit, et ibi Viglevanensium momentis serio perpensis, atque ad Regem Philippum IV relatis, recognitaque ab ipso eximia eorumdem fidelitatis significatione, tractationem penitus dirimi jussit, retultque, ne in posterum de hac re ulla fieret mentio. Quare juxta omnium civium vota nihil fuit innovatum, et venditio seu in feudum concessio earum non fuit sortita effectum. Haec omnia colliguntur ex Archiv. Civitat., et ex allegationib. Doctor. Sacchetti.

(6) Liber mortuor. Eccles. Cathed.

riensi, et cadaver sepulcro honestatum fuit in Sacello S. Caroli Ecclesiae Cathedralis sine epitaphio.

Hisce peractis, Canonicorum Senatus rite convocatus Vicarium Capitularem iterum nominavit Archidiaconum Paulum Camillum Colli Viglevanensem, qui annis quinque, et amplius Dioecesi praefuit.

CAPUT XIII.

DE CARDINALI

STEPHANO DONGHIO

DECIMO VIGLEVANI EPISCOPO

In Episcoporum Viglevanensium serie decimum tenet locum Joannes Stephanus Donghius Patricius Januensis, Bartholomaei Donghio, et Jacobae de Bernardis filius (1). Is litterarum, et philosophiae curriculum in patria suscepit, et magna cum laude ibidem explevit, famamque illustrem ingenio, et studio est consecutus. Inter Clericos adscriptus theologiae, jurique civili, et canonico tum Bononiae in Italia, tum Salmanticae in Hispaniis operam dedit, et laurea insignitus Romam petiit (2), qua in urbe, exhibitis et sapientiae, et civilis prudentiae maximis argumentis, ab Urbano VIII Protonotariis Apostolicis, ut dicunt, Participantibus adscribitur; dein Camerae Apostolicae Clericus dicitur; demum S. R. E. Cardinalis renunciatur. Romana purpura insignitus, specialibus Urbani VIII Pontificis Maximi litteris pertractandae cum foederatis Italiae Principibus pacis perdifficilem legationem assumpsit, quam feliciter gessit. Obtentis enim prius quae ad Sedis Apostolicae, totiusque Reipublicae Christianae bonum pertinerent, paci cum aliis Principum Administris Venetiis subscripsit anno MDCXLIV.

(1) Ciaconius Tom. IV, *Vitae Romanor. Pontif. et Card.* edit. Rom. recogn. ab Oldoino ad ann. 1643 colum. 582.

(2) Idem loc. cit., et Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. 2, pag. 562.

Hisce prudenter gestis, magis, ac magis Cardinalis Donghi percrebuit sapientiae fama; quare Ferrariensi Legationi praeficitur, quam dum maxima cum fide, et vigilantia moderatur, a Philippo IV Hispaniarum Rege die IV Aprilis anno MDCL fuit Viglevanensibus Episcopus donatus (3). Ast et suscepta legationis munera, et graves Innocentii X Pontificis Maximi curae non sieverunt, ut denunciatae Ecclesiae regimen capesseret. Accessit quoque, ut ab eodem Summo Pontifice aliquot post menses Æmiliae Legatus nuncuparetur. ipse vero veritus, ne sincero, studiosoque doctrinae, et religionis pabulo sibi concreditae oves pascerentur, suasus praeterea greges proprio pascendos esse pastore, cum ipse legationis muneribus necessarius omnino esset, Viglevanensem infulam, quam nullo constat possessionis jure assumpsisse, abdicavit (4). Quare Paulus Camillus Colli absque alio delectu jam creditum Vicarii Capitularis munus optima doctrinae, et religionis disciplina administrare perrexit (5).

Abdicatione hac gravissimis animi angustiis solutus, totis viribus reipublicae moderandae operam dedit. Nihil justitiae, fidei, vigilantiae, caeterarumque sociarum virtutum desideratum fuit. Beneficus, providusque animus Cardinalis Donghii enituit praesertim in maxima annonae caritate. In hac difficili rerum conditione et vigilantissimi principis, et amantissimi patris animum exhibuit: quae gesta omnia praeclara Ravennates monumento marmore inscripto, et in majori platea erecto, suoque gentilitio stemmate ornato perenniter illustrarunt.

CARDINALI DONGHIO LEGATO
QVEM LAXIORIS ANNONAE CVRA
AVARA NE QVIDQVAM CERERE ADVERSANTE
IVSTITIA SONTES VNDECVMQVE AD POENAS REVELLENS
PROVINCIA AD STVPOREM PARENTE
TAM PROBIS CARVM PRÆDICANT QVAM IMPROBIS METVENDVM
RAVENNA ADRIATICI AD MOENIA
FAMVLANTIS BENEFICIO NOBILITATA
TRIVMPHALE HOC STEMMA AD AETERNITATEM EREXIT
KALEND. SEPT. M. DC. LIV.

(3) Inscriptio posita in Eccl. Cathed. ad ejus imaginem, et Ughelli *Ital. Sacr.* Tom. IV, col. 824.
(4) Eadem inscriptio et Cantor Ferreria in *Vita Venerab. Petri Georgii Odescalchi* pag. 293, et Ughelli loco superius citato.
(5) MSS. Biblioth. S. Ignatii.

Post gestam communi omnium applausu Æmiliae legationem, Ecclesiam Fori Cornelii regendam suscepit. Hic non praetereundum censeo, ipsum tunc proprns in aedibus Christinam Alexandram incomparabilem Sueciae Reginam Romam petentem, illo quo decebat splendore, excepisse mense Novembris anno MDCLV (6). Ab Ecclesia Fori Cornelii ad Archiepiscopatum Fori Alieni, seu Ferrariae translatus fuit anno MDCLXIII die XXVI Februarii; et ubi se Pastorem sollicitum gessit, universam perlustravit Dioecesim, Synodum celebravit, nihilque eorum praetermisit, quae ad componendos mores, et ad procurandam animarum salutem valerent.

Donghio Cardinale tria sacra Comitia Vaticana celebrata sunt, quibus ipse adfuit singulis, summa semper integritatis, et prudentiae laude; atque in his summum Pontificatum sunt consecuti Innocentius X, Alexander VII, et Clemens IX. Tertiis vix solutis, correptus fuit febri, quae pertinaciter adhaerens eum Romae sustulit die XXVI Novembris anno MDCLXVII. Ejus corpus, post solemnes inferias Cardinalium more celebratas die XXVIII ejusdem mensis, in Jesuitarum Ecclesia Jesus nuncupata depositum fuit in sepulcro medio ante Sacellum B. Mariae Virginis, in quo nulla adstat nominis inscriptio, quod erat Parentum cura, ut in Archiepiscopatus sede humandum deferretur (7).

(6) Ciaconius loco sup. citato, et Galeatius Gualdo lib. inscript. *Storia della S. R. M. di Cristina Alessandra Regina di Svezia* pag. 78, ubi elogio numeris omnibus absoluto Donghii virtutes celebrat.

(7) Acta publica et Liber mortuor. Ecclesiae Jesus nobis communic.

CAPUT XIV.

DE GABRIELE ADARZO DE SANTANDER

UNDECIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Hispaniense Regnum sex nostrae suppeditavit Ecclesiae Antistites, sanguinis nobilitate, doctrina, morumque sanctitate omnes vere commendabiles, inter quos recensetur Gabriel Adarzo, cujus de vita quae nobis fuerunt comperta, litteris mandare decrevimus. Ipse igitur patriam sortitus est Mantuam Carpetanorum *Matritum*, paterque illi fuit Stephanus Adarzo de Santander, mater vero Helena Bayn clarissimi generis conjuges (1). A teneris annis pietati in primis studuit, utque pissimo ingenio liberius indulgeret, Ordini B. M. de Mercede Redemptionis captivorum adscribi voluit, quam vivendi rationem solemni cum sacramento est professus, nullisque humanis curis distentus tum religioni, tum theologicis studiis se totum permisit, in iisque Baccalaureus Academiae Salmaticensis fuit renunciatus. Brevi sacris scientiis, miraque eloquentia instructus, et Concionatoris, et Consiliarii Catholicae Majestatis munus amplissimum est promeritus, quod dum sapientia, et integritate summa gerebat, ab ipso Hispaniarum Rege Philippo IV Viglevanensis Episcopus dictus est ineunte anno MDCLIV, dieque nona Martii publico praeconio ab Innocentio X Romae confirmatus (2).

Episcopus consecratus Viglevanum petiit, ubi die tertia Junii ejusdem anni solemniter ab universis Civibus exceptus est. Nihil hoc in adventu, quod Civium

(1) Acta Romana

(2) Eadem Acta Romana

laetitiam, munificentiam, spem exprimeret, desideratum fuit (3). Viglevanenses fere viginti octo ab annis Pastore viduati vere festum hunc diem acceperunt (4). Ipse vero piissimi patris, et benefici curas statim induit: nam eodem ingressus die eloquentem habuit ad populum concionem: postero vero die, recurrente festivitate SS. Corporis Christi, sacris solemniter peractis, ornatissimam duxit supplicationem (5).

Prima Pontificatus exordia ad ea cognoscenda, quae patris sunt, impendit, ne ad necessaria constituenda consilium, et opus retardaretur. Hic primum cum Oppidum Gambolati petiisset, ut obsequiosus Cardinalem Alphonsum Littam Mediolani Archiepiscopum eo loci ut nobilissimae familiae feudi diversantem inviseret, quinque Capellanos fundationis de Blanchis, et Canonicorum nomine nuncupavit, et ipsis insignia tradidit (6). Insuper ibi in Ecclesia S. Gaudentii Dioecesis Viglevanensis Societatem pro redimendis e Turcarum potestate fidelibus instituit (7), obtentis pro Sodalibus a Romano Pontifice amplissimis indulgentiae praemiis. Non silendum praeterea eodem charitatis ardore affectum Cardinalem ipsum, collata ad piissimam Societatem constituendam larga stipe, primum in ipsa nomen dedisse (8).

Viglevanum reversus studuit collapsae ecclesiastici Ordinis disciplinae restituendae, et corrigendis universi gregis moribus operam dedit; idque vel maxime animadverterit, ut rerum divinarum ignorantia, ex qua omnigena mala solent in gregem devenire, tolleretur. Itaque non modo complures delegit, qui tam necessarium panem fide, charitate, et sapientia esurientibus frangerent, sed ipse quoque hoc praecipuo munere est perfunctus diligenter, et pro illa, qua praeditus erat, mentis perspicacitate, dicendi eloquentia, et morum sanctitate, qua ipsius divinae legis praecepta opere complebat, et frequentissimum habuit gregem, et virtutibus florentem.

Ut celeritate consiliorum, qua ardua extemplo resolveret, et difficile opus corre-

(3) Archiv. Civitat., et Brambilla *Chiese di Vig.* pag. 38.

(4) Eodem anno, post publicam laetitiam a Viglevanensibus significatam in solemni adventu Praesulis Adario, Hieronymus Eustachius Ordinis Praedicatorum (quem nonnulli dicunt fratrem Joannae Franciscae Eustachiae fundatricis Coenobii S. Clarae) supra silicem columnam propriis impensis statuam nonnam S. Petri martyris erexit in finibus plateae Ecclesiae ejusdem Sancti nomine nuncupatae.

(5) MSS. Biblioth. S. Ignatii.

(6) Archiv. Colleg. S. Gaudentii Gambolati. Vide dicta pag. 71, not. 17.

(7) Mense Septembri anno 1734.

(8) Idem Archiv. Gambolati.

gendi moris, et prudenter perageret, et feliciter perficeret, sortitus erat Praesul Adarzo mirum ingenium perspicax, et judicium rectum. Rebus insuper theologicis optime instructus immortalem sui nominis memoriam reliquit: libros enim conscripsit, quos vere commendabiles praedicat quisque rerum prudens [9].

Par religionis zelo, et sapientiae cultui fortitudinis locus fuit, qua Episcopalis dignitatis jura tuitus est: amplissima munera a Catholicae Majestatis munificentia ipsi collata eum ad justitiam, et fidem firmiorem reddiderunt. Cum a Consiliis esset Catholici Regis, in amplissimo Mediolanensi Senatu praeter omnium expectationem assidere, et summa Patrum admiratione jus proferre voluit. Sui Regis in se benevolentia ita est usus, ut Joannae Franciscae Eustachiae fundatrici Monialium sub regula S. Clarae jam dirutam arcem Viglevanensem per supremum diploma dono obtinuerit: quare ibi extructo Monasterio, Virgines ex angusto Coenobio (in quo postea novum Clericorum Seminarium aedificatum fuit) in satis amplam, saluberrimamque domum transtulit [10].

Tantis curis distentus ea non praetermisit, quae ad Templi ornatum pertinebant. Nam inter caetera voluit Praedecessorum suorum, quorum praeclara gesta est imitatus, imagines distinctis tabellis pergrandibus depingi, quas regio suae Ecclesiae Cathedralis Capitulo dono dedit anno MDCLVI, ut Ædis maximae parietibus appenderentur: ex quo factum est, ut omnium usque nunc Successorum imagines aequaliter depictae Episcoporum seriem in Templo exhibeant. Aliis picturis, supellectilibus princeps Templum, Episcopale Sacellum, et complures Ecclesias donavit: nec minori beneficentia pauperes est prosecutus. Beneficus in egenos animus enituit tum vel maxime cum anno MDCLVI ex coeli inclementia fere nulla messis ex agro exsisteret Viglevanensi, et maxima annonae caritate Cives premerentur, quidquid ex regionibus exteris frumentarium potuit, comparavit, et pauperibus distribuit. Hic Praesulem piissimum pariter fas est commendari pro illa eximia benevolentia, qua, illum epidemica febris anno MDCLVII autumnali praesertim tempore maxima populorum et Viglevani, et finitimis in

(9) Libri ab eo conscripti sunt: I *Liber de Immaculata Conceptione B. M. V.*, II *Tractatus de quaestione probabilismi*; III *Certamen de exclusiva*.

(10) Egit etiam omni ope, ei contentione Episcopus Adarzo apud Mediolanensem Magistratum, ut dictae Joannae Eustachiae pro aedificatione novi Monasterii traderetur arx Viglevanensis paucis ab hinc annis demolita: at pia Philippi IV Hispaniarum Regis munificentium eidem jam attributa. Ad implenda regia subsidia, et privilegia pro novo Coenobio ipsa fundatrix sola ope divina freta Mediolanum pedibus bis petiisset.

regionibus caede grassabatur, aegrotos omnes, et praecipue egenos est complexus [11]: id curae fuit, ut corporis, et animae saluti consultum esset: qua in re et impensis, et laboribus summa omnium admiratione non pepercit.

Cum triginta, et amplius per annos Dioecesis non fuerit a Pastoribus perlustrata, idque temporis plurima, quae bonos mores corrumperent, et pietati officerent, irrepserint, eam pro munere recognoscere, et recognitam componere sibi proposuit. Ab Æde igitur maxima initium dedit, inde et Civitatis, et Dioecesis singula perlustravit annis MDCLVI, et MDCLVII. Provisum itaque est in Ecclesia Cathedrali, ut pro reddituum diminutione varia quoque Missarum legata diminuerentur [12], ad Altare legitime privilegiatum (petentibus aliquibus piis viris) ad expiandas animas in Purgatorio detentas Sodalitium restituit jam ab anno MDCXX institutum, ast ob bella, caeterasque calamitates ferme collapsum [13]. In Ecclesia S. Christophori Societatem pro redimendis captivis rite confirmavit, ejusque Sodalibus Apostolica indulgentiarum praemia obtinuit [14]. Seminario Clericorum bona omnia, et jura Coenobii Fratrum tertii Ordinis S. Francisci sub titulo S. Mariae Lauretanae paullo ante ab Innocentio X suppressi rite adjudicavit [15], et ob specialem Apostolicae Sedis delegationem eidem Seminario addixit proventus omnes loci pii *Humiliatis* ab Alonso Perez Hispano fundati sub nomine S. Joannis Eleemosynarii [16]. Eodem anno MDCLVI die X Junii pius totius Cleri, et Civitatis precibus commotus, diem S. Antonii Patavini, cujus tutela Viglevanenses ab infaustis jam pluries erepti fuerant, solemnem esse jussit, et sacrum universae Dioecesi [17].

Hic pariter recensendum, quod, regente Praesule Adarzo, in Ecclesia S. Laurentii Oppidi Mortariae (nunc Civitatis titulo a Victorio Amedeo II Sardiniae Rege condecoratae) Dioecesis Viglevanensis Canonicorum Collegium constitutum fuerit: cum enim Presbyter Bartholomaeus Valgiani ineunte anno MDCLVII opus

(11) Epidemicam hanc fuse describit Physicus Antonius Cesati Viglevanensis in suo *medico tyrocinio Mediolani impresso anno* 1659, eamque habuisse originem tradit ab infectione aëris, quam tum maximi aestivi calores, tum militis hominum cadavera in bello extinctorum fere insepulta, ac vix in superficiem terrae illata, aliaeque causae ortae ex longa incursione Germanorum, Gallorum et Hispanorum stationes ita coinquinare, corrumpere valuerunt, ut mortiferum luem induxerint.

(12) Acta visitat. et Archiv. Cancellar. Episc.

(13) Idem Archiv.

(14) Archiv. Sodalitat. S. Christophori.

(15) Archiv. Seminarii pag. 6.

(16) Idem Archiv. Seminar. pag. 8.

(17) Acta Canceller. Episc., et Brambilla *Chies. di Vig.* pag. 51.

excogitatum perficere vellet, bona omnia concedens, quinque Canonicatus instituit. Idcirco Antistes Adarzo, ut singulari pietati faveret, antiquissimam S. Laurentii Ecclesiam Oppidanorum sumptibus jam ab anno MCCCCXIV aedificatam in Collegialem erexit decreto Viglevani firmato die VIII Martii anno MDCLVII (18). Idem Collegium progressu temporis aliis novem Canonicatibus fidelium pietate adauctum fuit (19). Hoc anno pariter die IX Maii Sodalitium instituit in Ecclesia sub titulo septem Dolorum B. M. V., Sodalibusque facultates, et privilegia attribuit, quibus nunc utuntur (20).

Peracta Dioecesis visitatione, compositis, et firmiter constitutis omnibus, quae corruptelam tollerent, et pietatem confirmarent, indictis publicis, et privatis precibus, anno MDCLVII per dies XXII, XXIII, XXIV Aprilis solemni apparatu, et magna Cleri frequentia justa praescriptos ritus octavam Viglevanensem Synodum in Templo maximo celebravit (21). Quod tunc sancte, et prudenter statutum fuit licet recognoscere in ipsa Synodo Mediolani a Ludovico Montia typis edita anno MDCLVIII.

Cum semper quae ad Dei cultum, et gregis salutem pertinebant, diligenter excogitaret Episcopus Adarzo, tantae fuit curae, ut post peractam Dioecesis lustrationem, et Synodum ipsam maximum religionis triumphum fidelibus exhiberet: nam die XXI Maii, idest feria II Pentecostes anno MDCLVII, praemissa solemni supplicatione, cui et ipse interfuit, publicae venerationi exposuit in Ecclesia Cathedrali Corpus S. Viti martyris (22), quod de mandato Innocentii X ex coemeteriis Romanis extractum, et a Cardinale Mario Gineto Episcopo Portuensi publicis tabulis Romae signatis anno MDCXLVIII die XXII Martii Canonicis Viglevanensibus concessum fuerat (23).

(18) Presbyter Vaiglaui adjutor Praepositi S. Laurentii supradictos quinque Canonicatus instituenda suis solemnibus Litteris Papiae firmatis die 13 Januarii anno 1657 a Notario Francisco Gaunstra valuit, et ingo casil, ut Canonici ad celebrandas Missas et ad psallendas in Choro Horas Canonicas quotidie tenerentur. Jus vero eos nominandi, praesentandique intra certa dies Communitati tribuit Martariensi.

(19) Archiv. Colleg. Mortar., et Acta Cancell. Episcop.

(20) Sodalibus tamen non concessit privilegium deferendi habitum coloris violacei, cum illum tantummodo obtinuerint ab Episcopo Sormano, et suo loco dicetur.

(21) Acta Cancell. Episcop., et MSS. Biblioth. S. Ignatii, ubi omnia ad hanc Synodum spectantia singillatim describuntur.

(22) Corpus S. Viti m. Romae traditum, commissumque fuit nostro Episcopo Joanni Gutierez, ab eoque Mediolanum usque fuit translatum, et postmodum ab Episcopo Ad... ptum, atque in Ecclesia Cathedrali ad aram S. M. V. collocatum. Brambilla Chies. di Vig. pag. 50.

(23) Acta Cancell. Episc., et Archiv. Capitul.

Tanta haec brevi, quo praefuit Ecclesiae Viglevanensi, trium annorum spatio praestitit; majora etiam facturus, si hujus Ecclesiae regimini diutius praeesse potuisset; etenim dum traditum munus tanta fide, cura, et vigilantia exercet, Hydruntinae Metropolis Archiepiscopus renunciatur, quod ita pro amore, quo Viglevanenses prosequebatur, eum perculit, ut oblatam dignitatem firmiter recusaret. Verum, cum sibi indulgere nullo modo potuisset, die VI Novembris MDCLVII non sine magna animi sui aegritudine, ac totius Dioecesis tristitia Ecclesiam Viglevanensem dimisit, et alteram Hydruntinam administrandam suscepit. Commendandus hic ingens in Viglevanenses amor; nam et in ipso discessu secum pro Vicario generali Hydruntino duxit Ubaldum a Collibus Canonicum Cantorem Viglevanensem, et plurima deinceps ad Ecclesiam majorem misit et pretiosa dona.

Abdicato ab Antistite Adarzo Viglevanensis Ecclesiae regimine, Vicarii Capitularis munus a regiis Canonicis unanimiter Joanni Andreae Cocchio Archidiacono Cathedralis Ecclesiae demandatum fuit (24).

Non abs re erit paucis persequi, quae in Hydruntina Metropoli Archipraesul Adarzo gesserit (25), nam eodem permotus charitatis ardore gregis saluti solertissimam operam dedit. Dioecesim invisens plurima et rite providit, et pie ordinavit, nonnulla quoque ad cultum divinum tum instauravit, tum etiam exci-

(24) Regente Ecclesiam Viglevanensem Vicario Andrea Cocchio, iterum a Gallorum exercitu infelices cives conflictantur: en quid hac de re scribat Brambilla *Chier. di Vig.* pag. 2, sicuti testis ocularis. *Basta dire, che oltre li continovi flussi, e reflussi degli ammassi degli eserciti cagionati o dagli accidenti delle guerre o dalla commodità del sito, nel spacio di quatordeci anni è stato a Vigevano tre volte l'essercito nemico Francese, con quei danni, che ognuno può imaginarsi. Nell'anno 1658, doppo d'essersi vuotato la Città, et d'abitatori, et de viveri, et delle migliori suppellettili, havendo così commandato il Conte di Fuensaldagna Governatore dello Stato di Milano, in modo, che una Città così popolata rassembrava un solitario deserto, et metteva horrore, passeggiandovisi molte contrade senza incontrare un parente, e amico, mandando il Duca di Modena Generalissimo del-l' ... essercito alla volta di Mortara, passò per Vigevano, et havendo pensato di poter qui rinfrescare la Soldatesca, e provedersi alle occorrenze dei viveri necessarii, mentre do-veva stare l'essercito all'assedio di Mortara, e vedendo, che restorno delusi gli suoi disegni, si mostrò talmente adirato, che minacciò di volersene vendicare col fuoco, et haurebbe esseguito la concepita vendetta, se non havessero mitigato il suo furore i pianti di alcuni pochi Cittadini, che intenti più alla conservatione della patria, che delle proprie sostanze, erano restati a casa, et in compagnia di alcuni religiosi tanto seppero supplicare Sua Altezza, che li levorno (per dire così) il flagello di mano, ne sfogò il suo sdegno in altro, se non se in far smurrar tre porte con la muraglia vicina della Città sotto pretesto, che si fossero voluto fortificare, per difendere la Città dal suo essercito.*

(25) De iis, quae gessit Archipraesul Adarzo tam in urbe, quam in Dioecesi Hydruntina, nos certiores reddiderunt urbanissimi Canonici Hydruntinae Metropolis, quibus procul dubio plurimum debemus, eo maxime quia omnia acta a publicis Notariis Penna, et Torroni nobis subscripta exhibuerint.

tavit aedificia; praecipua, quorum extat memoria, breviter commemoramus. Hydrunti penitus exesum Sacellum, in quo fama est, Apostolorum Principem sacrorum primitias in Italia Deo obtulisse, cum Antiochia Romam pergens illas ad oras appulit, restauravit, et in elegantem formam redegit, ut insculpta testatur inscriptio:

DIVO PETRO
QVI PRIMAM HIC SYNAXI PERACTA
OCCIDENTALI ECCLESIAE PETRAM POSVIT
DELVBRVM PERVETVSTVM
PRISCA JAM PIETATE REFECTVM PENE COLLAPSVM
D. F. GABRIEL ADARZO DE SANTANDER
ARCHIEPISCOPVS HYDRVNTINVS SALENTINORVM PRIMAS
COMMENDANDVM REPARAVIT
ANNO SALVTIS MDCLXVII

Sanctos etiam Martyres Hydruntinos in odium Christianae religionis anno MCDLXXX a Muhamedanis crudeliter necatos mirifice coluit, eorumque sepulcrum ornavit [26]; Ecclesiam insuper Metropolitanam variis ornatibus, et praesertim in foribus auxit. Non solum in Metropolitana Ecclesia, verum etiam per Dioecesim piam suam munificentiam ostendit, insignem enim Ecclesiam Collegialem S. Petri Civitatis Galatinae, quo saepe secedebat, fere omnimode reparavit, atque auxit: legavit praeterea, ut quotannis in perpetuum tribus vicibus votivum solemne sacrum habeatur tam in Urbe Hydruntina, quam in Civitate Galatina, et egentibus utriusque Civitatis distribuatur assignata frumenti quantitas. Celebri cum prudentiae fama Hydruntinam Ecclesiam administravit usque ad an-

(26) Cum Hydruntina Metropolis in Turcarum potestatem devenisset anno 1480, et ejus cives, nisi Christianae renunciassent fidei, essent interimendi, idcirco Stephanus Pendinellus (patria Brundusinus) tunc Hydruntinorum Archiepiscopus, vir morum sanctitate, animique fortitudine vere commendandus in Metropolitana Ecclesia sacris indutus Eucharisticum panem civibus ministravit, eosque ad Christi fidem servandam validissime est cohortatus: salutaribus ejus consiliis parentes omnes vitam temporalem pro Christi nomine amittere constanti animo contendebant. Quapropter ipse una cum Canonicis, Presbyteris, et aliis Cleri saecularis, et regularis viris capite obtruncatus est; caeteri vero cives immanissime trucidati sunt in Valle propinqua, quae Martyrum deinde dicta est, pueris, ac mulieribus in acerbissimam adductis servitutem. Videatur Odericus Raynaldus Tom. XIX *Annal. Ecclesiae*, ubi plura scitu digniora refert; consulatur etiam Muratorius *Annali d'Italia* ad ann. 1480; sed fusius de hoc argumento scribit Joannes Antonius Summonte *Histor. Neapol.*

num MDCLXXIV, quo inter mortales esse desiit die IV Aprilis Ejus cadaver tumulatum fuit in Basilica S. Petri Galatini ad Sacellum immaculatae Conceptionis, quod ipse vivens construxerat, et ibi humi imposita fuit haec inscriptio

HIC HOSPITIS AMICI . PRAESVLIS

OSSA SEPVLTA . IACENT

MDCLXXIIII

Cives Galatini tanti Pontificis virtutes ad posteros demandatas voluerunt quare marmoreum mausoleum in ejus honorem per ipsos extructum fuit in Templo maximo, atque in ipso praecipua piissimi Archipraesulis gesta prominentibus imaginibus affabre exculptis designata fuerunt hoc elogio:

D. O. M.

FR. D. GABRIELI ADARZO ARCHIEPISCOPO HYDRVNTINO

ORDINE HISPANO GALATINO INCOLAE

DOCTRINA RELIGIONE ET CHARITATE EXIMIO

GALATINAE HVIVS VRBIS TAM BENEMERITO

QVI DVM VIVERET.

VIVVM SIBI HOC MORTIS MONVMENTVM DESIGNAVIT

VT SEMEL MORIENS IN HAC VRBE VIGERET.

ET BASILICAM HANC APOSTOLORVM PRINCIPI DICATAM

LICET A FVNDAMENTIS NON EXCITAVERIT.

PRIMVS TAMEN ORNAVIT

PATRIA CINERES RECOLENS

TANTI MEMOR SVI AMANTISSIMI PRAESVLIS

TVMVLVM INSCRIPSIT AC DECORAVIT

ANNO IVBILEI MDCC.

DIDACO GORGONI PATRITIO GALATINO SYNDICO

Adhuc Viglev. Praesulum Vitas Augustae Taurinorum typis Jacobi Fea an 1195 editas auctore Laurentio Gianolio, reliquae sequuntur per eumdem clarum Virum manuscriptae, quae in praesenti diligenter servatae nunc primum, Civitatis sumptibus, typis committuntur. Edit.

PARS ALTERA

CAPUT XV.

DE ATTILIO PETRA SANCTA

DUODECIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Nobilissimam Familiam Petram Sanctam non Mediolani tantum (1) sed in Hetruria quoque clarissimam (2), atque in Siciliae regno S. Petri principatu decoratam (3), ac viris amplissimis, qui et litterarum peritia, et civilibus, militaribusque gradibus singulis floruerunt aetatibus illustratam libentius praedicarem, si cuilibet Italicis rebus perito satis non esset comperta, et institutum opus permitteret. Attilius ergo de quo scribimus patre Octavio Petra Sancta Comite Canturii, et matre Violanta ex no-

(1) Gaudentius Merula in lib. *Antiquit. Gall. Cisal.*, refert vetustissimam Inscriptionem Mediolani marmore insculptam in laudem familiae Petrae Sanctae. Vide Bonalium in *Elench. Familiar. Mediolanen.* pag. 47, et Morigiam, *Della nobiltà di Milano*, lib. III, cap. 14, et lib. IV, cap. 30.

(2) Antiquissimam hanc progeniem Guiscardum habuit Petram Sanctam nobilem Civem Mediolanensem, qui eggressus prius Turrianorum tyrannide e sua exclusus patria prope confinia Lucanae Urbis, cui ipse praeerat oppidum Oppidum anno 1255 construxit, et ex suo cognomine Petram-Sanctam nuncupavit. Legatur Joannes de Carmenatis apud Joannem Sittonum de Scotia in *Theatr. equestr. nobilitat.* pag. 63, et apud Scriptor. *Rer. Ital.* tom. IX, et tom. XI Videatur Muratorius, *Annali d'Italia* an. 1255, et 1313.

(3) Non abs re erit indicare, quomodo ad fami-

bili Galliana stirpe natus est Mediolani anno MDCXII Franciscus baptismate appellatus fuit (3) quod nomen, cum Sacro Cisterciensum Ordini adscriptus fuit, permutavit, atque illud Attilii inter Monachos assumpsit. Solemnibus idcirco votis rite emissis, peractisque tum Romae, tum Salamanticae magna cum laude sacrarum scientiarum studiis brevi promeritam maximi ingenii, et singularis prudentiae famam est consecutus; tantique ad suos fuit pretii habitus (5) ut post aliquorum Coenobiorum praefecturas, nempe Novocomensis, Ticinensis, et Claravallensis ad regenda amplissima tum S. Ambrosii Mediolani (6), tum S. Crucis in Jerusalem Romae Monasteria deligeretur, ac deinde Italicae Cisterciensium Congregationis Praeses generalis, atque in alma Urbe a Summo Pontifice Innocentio X Sacrae Inquisitionis Censor, seu ut communiter vocant Qualificator diceretur. Cumque summis hisce muneribus, integritate, prudentiaque maxima perfunctus esset, adeo virtutis suae fama percrebuit, ut ab Hispaniarum Rege Philippo IV inter plures Antistites summis honoribus dignos Viglevanensis Episcopus nominaretur mense Jun. anno MDCLX.

Amplissimum munus Attilius suscepit, et peractis omnibus, quae ad capessendum jus requiri solent die ultima Octobris supradicti anni Viglevanensem Ecclesiam adivit. Non silendum in primis, quod Attilius religionis suae instituta semper praeseferens Monasticam vivendi rationem, quoad conditio, et dignitas ferebat diligentissime observavit.

Commissae Ecclesiae administrationem exorsus est a felicissimo illo, semperque commendabili eventu, quo optatissima pax inter potentissimos Galliarum,

liam Petram Sanctam pervenerit S. Petri principatus. Etenim Antonius Bejetanus S. Petri Princeps masculini sexus prole sine laniamnode pari se reliquit filias, harum primogenita Dominica appellata nuptias iniit anno 1642 cum Comite Francisco Petro Sancta Catholicae Majestatis Chiliarca. Hoc facto supradictus S. Petri Principatus a Philippo IV Hispaniarum, et utriusque Siciliae Rege familiae Bejetanae concessus in antiquissimam Mediolanensem familiam Petram Sanctam fuit translatus. Haec colliguntur ex annalibus et documentis domus Petrae Sanctae nobis communicatis.

(4) Annal. famil. Petrae Sanctae, et Argelati in Bibliotheca Scriptor. Mediolan. Tom. II, part. II, columna 1600.

(5) Doctissimus ejusdem Ordinis Abbas Ililar. Rancati (cujus vitam Mediolani conscripsit eruditissimus D. Angelus Fumagalli Abbas S. Ambrosii), cum Attilii ingenium, prudentiamque in rebus agendis agnovisset, eum in Insubriae Congregationis ad Monasteriorum Praefecturas proposuit.

(6) Unum alterum nequimus, quod nempe Abbas Attilius intra S. Ambrosii Coenobium magnificentissime exceperit anno 1649 mense Junio augustam Principem Mariam Annam Austriacam Ferdinandi III Imperatoris filiam. Haec enim, cum Philippo IV Hispaniarum Regi nuptui tradita esset, ac propterea Mediolano in Hispanias processum transiens, celebris Ambrosiani Monasterii fama permota, illud Germanissima invisit, et propinquae Basilicae antiquitatem agnovit. Legitur *Series Abbatum S. Ambrosii conscripta a P. Bartolomeo Arese.*

et Hispaniarum Reges constituta fuit. Qua de re cum primum Catholici Regis nomine per Comitem Alphonsum de Fuensaldagna ditionis Mediolanensis praefectum, ac praecipuum initae concordiae administratum (7) nostro Episcopo, et Civitatis Magistratibus nunciatus est faustissimus pacis eventus, statim communicata utrinque laetitia, is per suum Pastorale edictum indixit sacra, decrevit supplicationes ad agendas publice de accepto beneficio gratias. Statuta itaque die, idest secunda Decembris enunciati anni MDCLX post generalem supplicationem omni celebritate habitam Pontifex Petra-Sancta in templo maximo splendide ornato solemnia sacra, atque omnia ad id generis ritus requisita magna utriusque Cleri, populique frequentia peregit. Omnes exinde sacrae aedes frequentissimis supplicum agminibus obsessae solemnibus gratiarum actionibus, caeterisque religionis officiis certatim insonuere, tresque jam a felicissimo nuncio menses effluxerant, nec tamen solvendis votis, gratiisque reddendis finis adhuc impositus (8).

Dum Cives in laetitiae, et gratiarum actionibus summo studio animum intendebant Praesul Petra Sancta totum se ad ea quae Pastoris sunt convertit. In primis ad Civium commodum, et ad sartas, tectasque reddendas publicarum scripturarum auctoritates grammatophylacium prope Episcopalem portam construi jussit, et supra mesaulas, quae ex Ecclesiae Cathedralis sacrario in Clericorum Seminarium perducunt, adjectis porticibus aedes Pontificales ampliavit. Annuens piis praecibus Sanctimonialium Ordinis S. Dominici sub titulo S. Mariae Assumptae, quibus jam clausuram Apostolica auctoritate praescripserat

(7) Passato di poi a Madrid il Conte di Fuensaldagna Governatore di Milano, Cangiarono di massime concertate, tanto che finalmente dopo una tregua, nel dì sette di Novembre fu conchiusa la pace dei Pirenei fra le corone di Francia e di Spagna. Altro non dirò io di quest avvenimento, che dando fine alle arrabbiate guerre durate per tanti anni fra quelle due Potenze, riempiè di allegrezza tutte le Provincie Cattoliche. Pubblicatasi la pace, si vide ritornata la quiete per tutti i Regni Cattolici. Incredibili feste, e magnificenze si fecero etc. *Muratori*, Annali d'Italia 1659, al 1660.

(8) Non solum in universis Ecclesiis publicam laetitiam testatam esse solemni Viglevanenses, verum etiam omnium Ordinum acclamationibus, et quadam animorum conspiratione affusi gaudii indicia per urbem protulerunt; per triduum enim serico peristromata, aulaeis, et caeterum copia fenestras, forum maximum, vias, et compita obduci curarunt, oppositis locis frequentibus trophaea pacis elegantes constructa conspiciebantur, atque ardentibus facibus, ignibus festivis, multiplici mortariorum strepitu, carminum suavitate, et musicis concentibus laetitiam plausus decorabatur, ac quanto periculo, et consternatione ab hostium incursionibus, obsidionem, armorum fragorem, ab aeque publicas calamitates extentis temporibus Viglevanenses fuissent, tanto ad laetitiam insuper universae gratulationem gaudio, laetitiaque exarserunt. Archiv. Civ. MS Biblioth. S. Ignatii, et Brambilla, Chiesa di Vig. pag. 113.

Episcopus Odescalcus, rigidam vitae communis observantiam in earum Monasterium anno MDCLXIV induxit, rerumque omnium communionem stabilivit, illudque meum, ac tuum religiosorum pestem, atque perniciem ab eis abstulit, suasitque ad fovendam mutuam pacem ut nomina illa quoque penitus proscriberentur (9). Hinc summa laude, et commendatione hujus Monasterii perfecta religionis, et rigida vitae communis observantia semper floruit.

Nihil vigilantiae et diligentiae, et laboris in promovendo Dei cultu, inque perficiendis Episcopi muneribus praestantissimus Praesul omisit. Quapropter in tuendis suae dignitatis juribus graves subiit controversias, et plures nactus est adversarios, in quos tamen maxima juxta Apostoli monitum usus est mansuetudine, et charitate. Nam cum Sodalitium S. Mariae Angelorum absque sui Episcopi permissu, quin imo contra ejus jussum, et in censurarum contemptum supplicationem solemni pompa, ac magno tubarum sonitu, quasi triumphum agere vellet die festo Sanctissimae Annunciationis B. M. V. anno MDCLXIV habuisset ad Ecclesiam Cathedralem (10) ubi sedebat Episcopus cum Clero, et populo frequentissimo ad audiendam concionem, cumque censuras in Monitorio jam comminatas, et die postero pubblicatas plane sprevisset, ac pro maxima pertinacia, rejectis omnibus conciliandae pacis rationibus, rem ad Mediolanensem Magistratum, et ad Sacram Rituum Congregationem detulisset, coactis praeterea ad parem contumaciam sex aliis sodalitiis, quorum nomini parco, plurimas alias per biennium perturbationes, quas minime licet recensere excitasset, Praesul pissimus ab incepto charitatis tramite, nunquam divertit, et cum omnes tam inconsulti gregis recuperandi modos tentasset, tandem opera Marchionis Pauli Spinulae De los Balbases ex Hispaniensibus optimatibus, qui tunc temporis Viglevani commorabatur, ad exoptatam concordiam pervenit: etenim juxta conditiones in Generali Congregatione habita coram Episcopo, et Canonicis, nec non omnium Religionum Superioribus, ac Civitatis Consulibus, et aliis viris amplissimis statutas plenam, solemnemque ab inobsequentibus, et in se reversis sodalibus obtinuit satisfactionem, quae in Templo maximo e perferentibus indiciis poenitentiae signis fuit exhibita. Quibus peractis Sodales gratiarum hymnum canentes ad suas redierunt Ecclesias (11).

(9) Narratio histor. Monial. S. M. Assumptae ad ann. 1664, pag. 25

(10) Acta publica Cancell. Episcop. ad plures alligat. ea occasione typis impressa.

(11) Acta publica Cancell. Episc.

Ad optimum suae Ecclesiae regimen firum animo, ratumque semper habuit Praesul Petra Sancta ut suam inviseret Dioecesim, quapropter post Missam Pontificio Ritu celebratam die 26 Aprilis, idest Dominica III post Pascha anno MDCLXV suam Pastoralem Visitationem a Templo maximo incepit, et sedulo omnes Civitatis Parochias lustravit (12). Eodem anno die IV Maji primarium lapidem debitis solemnitatibus benedixit ac posuit in fundamentis amplissimi Templi monialium S. Clarae interveniente ad sacram Caeremoniam frequentissimo populo (13). Verum cum ipsi incumberet anno insequenti sacra Apostolorum Petri et Pauli limina adire, non per procuratorem, sed ipsemet cineres apostolicos veneraturus Romam petiit, ubi ad Alexandro VII P. M. et a Romanis Proceribus, quibus jam ignota non erat ingenua ejus probitas, et constans amicitia humanissime exceptus de omnibus ad episcopale officium, et Viglevanensis Ecclesiae statum pertinentibus rationem reddidit.

Hisce prudenter peractis Neapolim est profectus, ut nonnulla domestica negotia, quae ipsi cordi erant, expediret. Ea in Civitate ob insolitam aeris intemperiem in morbum incidit: quo contempto Romam rediit, et ibi dum ad carissimum Viglevanensem gregem reverti meditatur die VII Novembris anno MDCLXVI maligna febri corripitur, qua ingravescente, et Sacramentis omnibus munitus in Cisterciensium hospitio, si non in sua Dioecesi prout optabat, saltem inter suos Monachos animam Deo reddidit die XXIII Novembris paullo ante memorati anni (14) cum praefuisset septennio Viglevanensium Ecclesiae. Ejus cadaver in Basilicam S. Crucis in Jerusalem fuit honorificentissimo funere delatum, et ibi sepulchro conditum in Sacello S. Gregorii magnifico hoc elogio marmore insculpto

(12) Acta visitationis in Archiv. Cancel. asserv.

(13) Vita Fundatr. Joannae Rustachiae a Cruce cap. 6, pag. 39, et Archiv. Monial. S. Clarae.

(14) Archiv. Monast. S. Crucis in Jerusalem.

D . O . M .

ATTILIO . PETRA . SANCTÆ . NOBILI . MEDIOLANENSI

ORDINIS . CISTERCIENSIS . ROMÆ . ET . SALMANT . INSTRVCTO

SANCTI . OFFICII . QVALIFICATORI . HVIVS . MONASTERII . ABBATI

IN . ITALIA . PRÆSIDI . GENERALI . EPISCOPO . VIGLEVANI

INGENVÆ . PROBITATIS . CONSTANTIS . AGILITÆ

PROMPTÆ . BENEFICENTIÆ

IN . ADVERSIS . FORTITVDINIS . PRVDENTIÆ . SINGVLARIS

SOLLICITÆ . CHARITATIS . VIRO

AN . M . D . CLXVI . XXIII . NOVEMB

ÆTATIS . LV . EPISCOPATVS . VII . A . VIVIS . EREPTO

NE . A . MEMORIA . HÆC . IPSA

AN . M . D . CLXXIII

MONVM . HOC . EXCITAVIT (15)

Canonicis Viglevanensibus nunciatum cum fuisset e vivis Romae ereptum fuisse optimum Antistitem Petram Sanctam ab ipsis, peractis solemnibus parentalibus, quam primum Vicarii Capitularis dignitas iterum in Andream Cocchi Ecclesiae Cathedralis Archidiaconum cunctis suffragiis fuit collata.

(15) Praeclarissimus Praesul Innocentius Millavacca ejusdem Ordinis Cisterciensium ad infulam Astensem evectus cum Romam se contulisset ut Episcopus inauguraretur sepradictam inscriptionem hac illustravit additione

D. INNOCENTIVS . MILLIAVACCA
EPISCOPVS . ASTENSIS
SACRANDVS . ROMAM . VENIENS
ANNO . M . D . C . XCIII
MEDIOLANI . A . TANTO . PRÆSVLE
SVSCEPTI . HABITVS . CISTERCIEN . MEMOR
HOC . GRATITVDINIS . MONVMENTVM
EIVSDEM . BENEFACTORI . POSVIT

Nobile de Episcopo Petra Sancta elogium scripsit Doctissimus Petrus Joannes Puricelli Laurentianae Basilicae Mediolanensis Archipresbyter in sua Nazariana dissertatione. Cap. 30, num. 60.

CAPUT XVI.

DE HIERONYMO VICECOMITE

DECIMO TERTIO VIGLEVANI EPISCOPO

Quam celeberrimi fuerint in universa Italia Vicecomites Principes omnes norunt, et praesertim Insubres, qui horum Principum dominio memoriae, et nomini multum debent, debebuntque semper. Ex hac eadem propagine fuit Hyeronymus de quo scribitur. Quaeret fortasse Lector, quae nam inter multas Vicecomitum familias Hieronymum tulerit, respondebimus eam esse, quae ex Gaspare Uberti filio, et Othonis Archiepiscopi, et Domini Mediolani fratre, continenti equitum civilibus, ecclesiasticis, militaribus praefecturis clarissimorum serie ad Marchionem Carolum feudatarium Cremae, Albuciaghi, Castani, et Cedrati equitem ex LX Urbis Mediolanensis Decurionibus, regium Quaestorem, ducalisque aerarii generalem praefectum pertingit (1). Is autem Marchio Carolus abs nobili femina Francisca Perona ex Comitibus S. Martini Canapitii praeter Hieronymum de quo agitur Fridericum etiam Cardinalem Archiepiscopum Mediolani, Aloysium, aliosque filios suscepit. Ab Aloysio propagatum est genus usque ad Annam Vicecomitem Marchioni Petro Antonio de Lunatis nuptam, cujus quidem superest etiamnunc proles unica illustris Comitis de Tabernis uxor Anna.

Hieronymus itaque Vicecomes Mediolani natus est anno MDCXII et pro sui

(1) Notiones de hac Vicecomitum propagine ex qua ortus est noster Episcopus Vicecomes, pleraque alia documenta ad eum spectantia nobis perhumaniter tradita fuerunt ab Excellentissimo Mediolani Archiepiscopo D. D. Philippo Vicecomite, et a clarissimo Comite Nicolao pariter Vicecomite, quibus procul dubio plurimum debemus. Vide Argelatum, *Bibliotheca* tom. II, par. I, colum. 1602, et Petrum Crescentium in *Anphiteat. famil. Mediolan.* part. I

generis dignitate educatus in capessendis humaniorum litterarum, et philosophiae naturalis studiis tam singularis ingenii specimen exhibuit ut magnam de se omnibus praeberet expectationem. Concitatam suam opinionem perpetuo auxit, nam cum Sacrarum legum eruditionis cupidissimus esset, in earumque studia animus ejus propensus, coepit divinis, humanisque legibus operam dare primum Mediolani, deinceps vero Ticini, in eoque lyceo Doctoris lauream magno cum honore fuit adeptus anno MDCXXXVI (2). In patriam reversus cum jampridem Clericali militiae nomen dedisset in S. Sepulchri templo abs Francisco Mario Abbiato Episcopo Bobiensi Sacerdos inauguratus est anno MDCXXXVIII (3). Exin Alexandrini Episcopi Vicarium egit (4). Interim vero ad Cremonensem Episcopatum evectus est Franciscus Vicecomes patruus, qui Hieronymum ex fratre nepotem moribus et doctrina commendatum anno MDCXLV sibi in Vicarium generalem elegit (5). Quo in munere maxima cum laude versatus Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis Primicerius, deinde Archipresbyter renuntiatur anno MDCLII (6), ejusdemque Curiae praeficitur, atque ad Vicarii generalis gradum promovetur. In gerendis ubique Episcoporum vicibus atque in pertractandis rebus forensibus illustre prudentiae et integritatis nomen cum sibi comparasset a Summo Pontifice Alexandro VII Novariensis Ecclesiae Episcopus constituitur anno MDCLXVII.

Jamvero non solum Aulae Romanae virtutes Hieronymi cognitae perspectaeque erant; sed earum etiam fama ad Catholicam Hispaniarum Reginam Mariam Annam pro Carolo II ejus filio regni administricem est perlata, quae Deo sic providente ad regendam Viglevanensium Ecclesiam fere eodem tempore eum designarat. Hoc duplici delectu a tam insignibus Electoribus eodem tempore habito Christianae reipublicae ejus merita Deus patefacere voluit. Ad inopinatae rei nuncium Hieronymus animo aestuare vehementer coepit. Obbedientia enim cogit utramque suscipere Ecclesiam, neutram cupit humilitas, alterutram Sacri requirunt Canones. Quid igitur? Re cum Cardinali Alphonso Litta tum Mediolani Archiepiscopo, et cum aliis sui spiritus Moderatoribus communicata, Divinae aquiescens voluntati, justis de caussis Novariensi Ecclesiae Viglevanensi potiorem habens minorem elegit, majorem meruisse contentus (7).

(2) Privileg. Laureae Doctor.

(3) Archiv. Curiae Archiep. Mediol.

(4) Sitonius Theat. Equestr. Nobilitat. Mediol. num. 953 pag. 215 et Brambilla, *Chiese di Vigev.* pag. 40.

(5) Uti ex charta apud Comites clarissimos de Taberna.

(6) Sitonius, et Brambilla loc. sup. cit. ac inscrip. sepulcr.

(7) In ejus locum a Clemente IX Episcopatui No-

Cum autem post mortem Alexandri VII creatus tunc fuisset Clemens IX Hieronymus ex officio Romam petit et ibi die IX Octobris anni paulo ante memorati Consecrationis Episcopalis munere ab eodem Summo Pontifice decoratur, et postquam per procuratorem die XXIX insequentis Novembris suorum jurium possessionem adpetus fuisset gratulantibus Civibus desponsam sibi Ecclesiam celeri itinere mense Decembris adivit.

Viglevanum ut venit Antistes Vicecomes muneri suo rite exequendo se totum vigilantia et sollicitudine praestitit. Nihil enim illi antiquius fuit, quam ut universum sibi concreditum gregem statim agnosceret. Qua de re anno MDCLXVIII feria III Pentecostes idest die XXII Maji (8) sacris solemni ritu celebratis Apostolicae visitationi operam dedit a majori Urbis templo exordium ducens totamque Dioecesim perlustrans excepto Gambolati Oppido, quod procul dubio etiam visitasset si ab immatura praeventus non fuisset morte.

In Ecclesiarum recognitione optima ubique edidit decreta, et inter alia, cum fixum animo perpetuo habuerit, ut cuique suum tribuatur die XXVIII Maji ejusdem anni lege sancivit ut omnia bona, et jura Collegii Clericorum, quod Seminarium appellant, quae praeteritis temporibus erant indistincta, et simul confusa cum juribus et bonis Sacrarii Ecclesiae Cathedralis distinguantur, separenturque, atque omnes et singuli proventus, seu redditus Seminarii seorsim in tabulis describantur, ac novus eligatur, et instituatur distinctus Cimeliarcha, seu Thesaurarius, qui rationes redditiuum, atque impensarum ejusdem Seminarii Episcopo pro tempore existenti reddere quotannis teneatur (9).

Praeterea ut comodissima salutis adjumenta haberent recentes Moniales S. Clarae Viglevani decrevit ut ipsae imposterum a jurisdictione Parrochi sint exemptae, et Sacerdos qui earum exciperet Confessiones, Sacramenta eis conferat, exerceatque omnem animarum curam; ac pro earum cadaveribus humandis in intima Ecclesia sepulcrum condi jussit (10).

Ad augendum cultum, venerationemque erga insignem S. Crucis D. N. J. C. reliquiam a pissimo Marochii Principe Ecclesiae Cathedrali nuper donatam (11)

variensi suffectus deinde fuit eruditus Clericorum Theatinorum generalis Praepositus Joseph M. Maraviglia, qui, biennio nondum expleto, Viglevanum venit ad celebranda Antistitis Vicecomitis solemnia funera, ut infra dicetur.

(8) Ut constat ex actis Visitationis

(9) Lib. a, Archiv. Semin. pag. 4, et acta Visit.

(10) Archiv. Monial. S. Clarae et vita Fundatricis Joannae Eustachiae a Cruce, cap. 7, pag. 39

(11) Spectabilis haec reliquia a propriis manibus Summi Pontificis Pauli V acceperat Romae Princeps Marochii D. Philippus ab Austria, eamque Eccle-

mandavit ut ea reponatur in pixide ex argento inaurato artificiosissime contexta, et ab Galeatio Maria Sfortia Vicecomite v Mediolani Duce Templo maximo jam pridem attributa. Haec eadem in publicis utriusque solemnitatis S. Crucis supplicationis circum plateam maximam defertur, et peculiaribus precibus ab Ecclesia statutis exponitur verno praesertim, aestivoque tempore ad repellendas aeris tempestates.

Sub idem tempus contentiones, et lites gravissimae jam a pluribus annis Viglevani subortae de praecedentia in supplicationibus inter Sodalitatem S. Mariae de Populo, et caetera laicorum hominum Sodalitia ita increbuerant ut ad Sacram Romanam Congregationem eorum jura semel, iterumque fuerint delata. Litibus occasionem dederat mutatio sacci, seu habitibus in Sodalibus S. Mariae de Populo, qui olim erant confratres, et pars antiquissimi Sodalitii S. Dionysii, sed discrimine inter eos secuto, nonnulli ex ipsis a Sodalitio recesserunt omnino, et petita potestate a Doctore De Capitaneis tunc Vicario Capitulari Dioecesis Novariensis aediculam sub titulo Purificationis S. Mariae de Populo pro sacris actionibus habendis extruxerunt anno MDXVI, ibique persisterunt, eumdem semper deferentes habitum, quo utuntur Sodales S. Dionysii, atque aliis posterioribus Sodalitatibus praecesserunt. Ast cum confratres S. Mariae de Populo in Romanum S. Mariae *de Sufragio* consortium cooptati fuissent (12), eaque occasione antiquum habitum pro distinctione commutassent, hinc effectum est ut caeterae Viglevanenses Sodalitates eam sicuti novam agnoverint, eique praecedentiam contenderint. Excitatam perturbationem, et controversiam ad plurium dissidiorum originem sedare volens Antistes Vicecomes, qui dicendi copia, et ad animos inflectendos plurimum valebat, omnem ineundae concordiae viam quaesivit, atque optimis suasionibus desumptis a Christi Domini verbis admonentis Apostolos de eorum primatu contendentes, *qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator* (13), Sodales S. Mariae de Populo etsi antiquiores induxit, ut in supplicationibus ante omnes Sodalitates progrederentur, et digniorem locum aliis cederent. Quod ab iis summa est fidelitate praestitum. Ex quo tempore nihil scandali, nihil quaestionis inter ipsos est auditum: quinimo praestans ani-

siae Cathedrali per publicas scripturas die 28 Aprilis 1615 Cremates dono dedit. Legatur hac de re *Le memorie storiche intorno la vita del Real Principe di Marocco* a nobis typis editas, cap. 5, pag. 48.

(12) Anno 1621, ut constat ex Romano diplomate incipiente *Regum Coelorum Virgo Maria* etc.

(13) Lucae, cap. 22, v. 26.

morum concordia, et tranquillitas consequta, atque eumium universae Civitatis exemplum.

In illud pariter sedulo incubuit Praesul Vicecomes, ut inconveniens quaedam tolleretur consuetudo, seu abusus, qui jampridem irrepserat apud nonnullas laicorum hominum Sodalitates quaeritandi scilicet per Urbem, ejusque territorium elemosinas absque ullo permissu sub specie pietatis, quae in profanos quandoque usus insumebantur. Quapropter cum ipsi quam maxime cordi esset sacrarum legum Concilii Tridentini, et Provincialium Synodorum observantia suo decreto typis edito et firmato die v Novembris anno MDCLXIX gravissimis sub poenis interdixit omnibus elemosinas quaerere pro sacris Sodalitatibus absque facultate expresse permissa et scripto tradita.

Non solum viventium, sed morientium quoque fidelium utilitati prospexit. Quocirca, petentibus nonnullis piis viris, in honorem S. Josephi erga moribundos patroni approbavit, quinimo decreto confirmavit sacrum Sodalitium sub nomine Bonae Mortis jam pridem institutum in Ecclesia Clericorum Regularium S. Pauli.

Dum verbo, exemplo, atque optimis legibus curam, operamque omnem confert Antistes Vicecomes in promovenda animarum salute, et in evellendis pravis consuetudinibus inexpectato morbo corripitur, quo ingravescente, sacris mysteriis refectus, magna pietatis significatione ex hac vita migravit (14) septimo calendas Novembris anno a Christo nato MDCLXX aetatis LVIII. Ejus cadaver, post justa funebria a Josepho Maria Miraviglia Episcopo Novariensi celebrata, tumulatum fuit in Ecclesia Cathedrali ante aram Sacelli B. Virgini Mariae dicati, ubi in propinqua parastata hoc extat epitaphium marmore insculptum, et characteribus inauratis exornatum.

(14) Cancellarius Brambilla, qui tunc temporis vivebat, et plurimum cognoverat Episcopum Vicecomitem in MS. additionibus ad suum librum *La Chiesa di Vigevano* haec habet: *Monsignor Visconti morì alle ore 24 del dì 26 Ottobre 1670. Con altrettanto cordoglio, quanto era l'amore, che ciascuno gli portava in riguardo alle sue rare qualità di santo Pastore. Il che fu ben dimostrato con tante orazioni pubbliche, e private fatte da tutte le Chiese Confraternità, e per fine dalla Dottrina Cristiana. Il suo funerale è stato ben sontuoso intervenendo Monsignor Maraviglia. Questo funerale fu fatto il dì 29 il più solenne, che si sia mai veduto altre volte in simil occasione. Egli è sepolto vicino a Monsignor Odescalchi nella Capella della Madonna.*

D. O. M.

HIERONYMO VICECOMITI

ECCLESIAE . MED . PRIMICERIO

ARCHIPRESBYTERO

CREMONAE PRIMVM

DEIN MED VIC . GNLI

VIGLEVANENSI . EPISCOPO

PIETATE IVSTITIA INTEGRITATE

INSIGNI

INEXPECTATA . MORTE . CORREPTO

PETRVS LVCAS . ET ALEXANDER

COMITES

FRATRI . BENEM

HOC MONVM POS.

OBYT DIE XXVI. OCT. MDCLXX

AETAT. ANN LVII IN EPISCOP III

Interea Viglevanensium Ecclesia, suo orbata Pastore dum novum expectat Antistitem, comitiis indictis, per suos regios Canonicos Vicarium Capitularem nominat Joannem Paulum Merulam Viglevanensem, et Cathedralis Ecclesiae Canonicum.

CAPUT XVII.

DE JOANNE RASINO

QUARTO DECIMO VIGLEVANI EPISCOPO

A clarissima Rasinarum gente amplissimis dignitatis insignibus ornata [1] ex que tot illustres prodierunt viri artum habuit Mediolani anno MDCXXX Joannes Rasinus decimus quartus Viglevani Episcopus. Ejus parentes extiterunt nobiles Conjuges Comes Claudius Rasinus, et Comitissa Bradamans pariter Rasina [2] Ipse vix decennis in Clericorum numerum adsciscitur; absolutisque in patria politiorum litterarum, et philosophiae studiis tum in Braydensi Collegio, tum in Clericorum Seminario, Bononiam petit, ubi gravioribus disciplinis excultus, Theologiae, Sacrorumque Canonum magisterium et lauream est consecutus [3]. In patriam reversus, ac Sacerdotio initiatus, cum annum ageret vigesimum-quintum Metropolitanae Ecclesiae Archidiaconus dicitur, eique a Cardinali Alphonso Litta Mediolani Archiepiscopo Visitatoris officium, aliaque munia ad animarum salutem spectantia attribuuntur [4]. Quibus in muneribus tam praeclarum exhibuit Christianae charitatis, et humilitatis specimen praesertim in frequenter adeundis valetudinariis, nosocomiis, et pauperum tuguriis, ut eum regia Hispanarum administratio optimum fore Episcopum judicaverit.

(1) Rasinorum familia gaudet per Caesareum diploma titulo Principis S. Mauritii in Vallesia. Vide Josephum Bonalium in *Elencho familiar. Mediolan.*, pag. 51.

(2) Acta Mediol. Roman. et Cancel. Episcop.

(3) Oratio funebris habita a P. Joanne a Novocomo Ord. Capuc. in solemn. Exeq. Episcopi Rasini

(4) Eadem Oratio

Cum igitur per id tempus Viglevanensium Ecclesia a suo Rege ut patrono suum expectaret Antistitem, Catholicus Rex Carolus II, et ejus Mater Anna Maria totius Ditionis administratrix prae caeteris spectatae virtutis viris, qui in demortui Episcopi Vicecomitis locum opti eis proponebantur Joannem Rasinum ad id muneris optiorem, dignioremque existimarunt, eumque ne suspicantem quidem Viglevanensem Pontificem illico delegerunt anno MDCLXXI Episcopalem ergo provinciam, quam formidandum opus appellare consueverat administrandam suscepit Rasinus. Quamobrem sacrandus eodem anno Romam petiit ibique die XXII Junii publico praeconio a Clemente X dictus est Episcopus, Dominica vero infra Octavam Principis Apostolorum idest die V insequentis Julii summo Sacerdotio initiatur, dieque XXVII ejusdem mensis in sui Episcopatus possessionem per Procuratorem admittitur (5). Postmodum consuetis Urbanitatis officiis in aula Romana perfunctis in dilectae Ecclesiae suae sinum festo Ss. Apostolorum Simonis et Judae, plaudentibus civibus se se recipit.

Inter primas pastoralis sollicitudinis curas ipsi quam maxime cordi fuit, atque a Clemente X Summo Pontifice ei magnopere commendatum ut juxta Tridentinas leges, ac Pontificias constitutiones institueretur, atque erigeretur in Ecclesia Cathedrali Theologalis Praebenda ad Sacrae Scripturae expositionem, et interpretationem. Jampridem apud Hispaniarum Reges ut patronos hoc theologale munus fuit summopere expetitum, et requisitum a nonnullis Episcopis, sed praesertim a venerabili Petro Georgio Odescalco, atque ab Attilio Petra Sancta, sed frustra. Praesul itaque Rasinus ne suo deesset muneri supplicibus litteris ad Catholicum Regem datis postulavit ut ex primo Canonicatu qui in Ecclesia Cathedrali vacans existeret theologalis institueretur Praebenda, seu Magisterium pro Sacrae Scripturae explanatione. Post iteratas preces voti compos est factus. Quapropter amplo Caroli II Hispaniarum Regis, ac Reginae Mariae Annae Austriacae ejus Matris ac Curatricis diplomate, cujus est initium *Con carta de dos de Marzo passado me remittis la consulta etc.* Matriti signato die XXIX Maji anno MDCLXXII

(5) Biamblla in MSS addit. ad lib. *Chiesa di Vigevano* fol. 41, haec habet: *Se il popolo di Vigevano restò mortificato per l'inaspettata morte del buon Monsignor Visconti fu altrettanto consolato per la provvisione che la Maestà del Re N. S. fece subito e bene nella persona di Monsignor Conte Giovanni Rasino Cavaliere Milanese, che prima era Arcidiacono di quella Chiesa Metropolitana, di famiglia antica e nobile, che per le sue ottime qualità fu in Roma spedito con tanta prestezza che egli ha conseguito in tre settimane tutto ciò che altri non possono ottenere in più mesi.*

cautum fuit et lege firmatum [6], ut ex primo Canonicatu vacante in Ecclesia Viglevanensi constituentur ipso jure Praebenda, seu Theologalis Canonicatus cui perpetuo adjunctum, deputaturque sit munus Sacram Scripturam publice exponendi, eamque juxta Catholicae Ecclesiae interpretationes et definitiones explicandi. Voluit tamen Rex ut per Mediolanensem Senatum, nec non per Regium generalem OEconomum de hac statuta lege moneretur Viglevanense Capitulum. Quam vero legem ut inferius dicetur anno sequenti Sede Episcopali vacante Canonici ex praescripto sunt executi [7].

Hisce in Ecclesiae Viglevanensis beneficium obtentis ut magis magisque Supremi Numinis promoveret cultum diruta veteri Ecclesia S. Bernardi solemni Caeremonia die xxiv Julii superius dicti anni primum lapidem ampli novi templi benedixit, atque in substructionibus posuit coram frequentissimo populo [8].

In moderanda sua Dioecesi de prioris vitae instituto ac ratione etsi ad altiorem evectus dignitatem nihil omnino remisit Antistes Ratinus quinimo majori qua potuit sedulitate susceptum explevit munus, et singulis ac praesertim pauperibus omnia humanitatis et charitatis officia praestitit. Venerabilem suum decessorem Petrum Georgium Odescalcum religiosissime venerabatur, atque ad imitandas praestantissimas ejus virtutes totum se componere studebat [9].

Viglevanenses felicia hujus regiminis primordia inspicientes multa sibi fausta ab hoc Praesule pollicebantur, sed potissimum eximiam ejus humilitatem et charitatem admirabantur. Ast cito a spe deciderunt, in lethalem enim febrim incidit novus Pastor: cumque morbus ingravesceret animae suae serio consuluit, et omissa mortalis vitae spe, cura sacris omnibus rite expiatum, ac divina plenum fiducia mors rerum humanarum turbatrix nobis eripuit die xviii Novembris anno MDCLXXII [10] nondum completo aetatis suae quadragesimo secundo. Immaturam ejus mortem deflevit non solum mater adflicta [11], quae illi morienti forti animo adstitit; verum etiam Cives apud quos brevi unius anni Pontificatu illustre adeptus fuerat nomen

(6) In Archiv. Capit. per extensum referitur regium diploma Hispanico idiomate exaratum.

(7) Archiv. Capitul.

(8) Archiv. Sod. S. Bernardi et MSS. biblioth. S. Ignatii.

(9) Eadem Oratio funeb.

(10) Lib. Mort. Eccles. Cath.

(11) Comitissa Bradamante Ratina matrona amore, quo filium suum Joannem Episcopum Viglevanensem prosequebatur cupiens SS. Martyrum intercessione prodesse animae dormientis prolis per publicas scripturas dono dedit Sacello S. Caroli, ubi cineres filii sui sunt humati, insignes reliquias SS. Martyrum Fidelis Mariani, Fausti, Modesti, et Magni, quas ipsamet habuerat a Cardinali Gaspare de Carpineo SS. D. P. Vicario generali,

Absolutis solemnibus exequiis die XXI memorati mensis a Carolo Ciceri Alexandrinorum Episcopo qui fuit postea S. R. E. Cardinalis, corpus fuit tumulo mandatum in Ecclesia Cathedrali ante cancellos Sacelli Divi Caroli. Insequenti autem anno parastatae sepulcro proximae adjecta fuit haec inscriptio

COMITI . JOANNI . BASINO
ARCHIDIACONO ECCLESIÆ . METROP. MED.
INDE . VIGLEVANI . EPISCOPO
QVI . BREVI . ANNI . VNIVS . PONTIFICATV
LONGVM . CIVIVM . FLETVM
ET . PERENNEM . PROMERVIT . MEMORIAM
COMES . MARCVS . ANTONIVS . BASINVS
FRATRI . DILECTISSIMO
MOESTISSIMVS . POSVIT
ANNO . M . DC. L. XXIII

Parentalibus pontificio ritu celebratis Canonici electores die XXII ejusdem Novembris, ex praescripto convocati, nomine Vicarii Capitularis nuncuparunt Canonicum Poenitentiarium Antonium Bonfilium Viglevanensem. Ecclesiam vix regendam suscepit hic Vicarius, cum fere statim per mortem Canonici Alexandri Gravellonae vacaverit Canonicatus, qui juxta regium decretum in praebendam Theologalem erat vertendus. Quamobrem ex vacante Canonicatu institutum rite fuit Magisterium, seu Theologalis praebenda, et nulla interposita mora per publicas litteras a laudato Vicario Capitulari signatas vocati sunt omnes ad id muneris idonei Sacerdotes, qui concurrere, et examini se se subjicere volebant. Facto deinde concurrentium periculo die XVI Januarii anno MDCLXXIII ab assignatis examinatoribus coram eodem Vicario universoque Canonicorum Collegio inter quinque concurrentes Sacerdotes tres digniores fuerunt delecti, iique Regiae Hispanarum Aulae per supplicem libellum a Capitulo Viglevanensi commendati Catholicus Rex, serio consideratis rebus eodem anno mense Aprilis jure suo primum Canonicum Theologum dixit Joannem Baptistam Morselli, qui postmodum fuit Ecclesiae Cathedralis Decanus (12).

(12) Haec omnia colligimus ex actis Archiv. Capitul. ad annum 1673.

CAPUT XVIII.

DE JOANNE CARAMUELE LOBKOWITZ

QUINTO DECIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Venio nunc ad celeberrimum virum a scriptoribus maximopere commendatum ob acerrimum ingenium, omnigenamque in scientiis eruditionem (1). Is est Joannes Caramuel Lobkowitz ex clarissima apud Belgas familia, sed Mantuae Carpetanorum, seu Matriti in Hispania natus anno MDCVI patre Comite Laurentio Caramuele, matre vero Catharina Frissea Lobkowitz nobilissima foemina ex Principibus Germaniae. A teneris annis astronomiam et artes, quibus pueritia ad humanitatem informari solet a versatissimo patre didicit; in omnibus vero linguis orientalibus praeceptorem

(1) Aloysius Moreri in Dictionario Parisiis impresso Tom. III, pag. 183, de Caramuele haec habet: ... *Caramuel il été un grand homme. L'auteur de l'unis Caramuel ecrit dans son livre qu'il avoit à dire un grand homme: que Caramuel avoit de l'esprit au huitième c'est a dire au Souvain d'égré, qu'il avoit de l'Eloquence au cinquième, e du jugement seulement au second d'égré. Celui chi a inseré un discours de Mathematiques dans le gros volume de ce Prelat sur l'Architecture du Temple de Salomon en parle bien plus avantageusement. Car il assure que si Dieu laissoit perir les sciences dans toutes les universites du Monde, le seul livre de Caramuel seroit suffisan pour les faire renaître. Il a soutênu le droits du Cardinal de Richelieu par un ecrit imprimé a Cologne en* 1638. Caeterum quidquid nonnulli auctores contra Caramuelem, plurimi alii pro Caramuele scripserint. Certum tamen apud omnes est virum fuisse ingenio, doctrina atque eruditione insignem. Nos vero quae de ipso hic brevi referimus compendio, omnia a Doctore Joanne Tadisio, qui anno 1760 Caramuelis vitam conscripsit, a Nicolao de Antonio Hispalensi *Biblioth. hominum illust. Hispan.*, tom. II, ab Abbate Ughelli, *Ital. Sacr.* Tom. IV, a Muratorio lib. *Del buon gusto* a Carolo de Visch. *Bibliot. Ord. Cisterc.* atque ab aliis Scriptoribus, nec non e publicis monumentis et a pluribus ipsius Caramuelis operibus, rejectis fabulis fideliter collegimus, nihilque diligentiae praetermisimus in iis perquirendis quae in auctoribus desiderantur

habuit Siriacum Joannem Ezron Montis Libani Archiepiscopum. Cum undecimum annum ageret libros conscribere coepit. Adolescens etsi unicum parentum germen Cisterciensi Ordini in regali Monasterio de Spina Dioecesis Palentiae anno MDCXXIII nomen dedit, statimque ob singulares animi dotes in Divi Bernardi Complutensi Collegio scientias omnes et praesertim philosophicas, et theologicas addiscendas suscepit, quas postea in Lyceis Vallisoleti et Salomanticae erudite docuit.

Belgium profectus theologiae lauream in celeberrima Lovaniensi Academia magna omnium admiratione et gratulatione est consequutus. Mox in Comitiis Abbas Melrosensis in Scotia renunciatus a supremo universi Ordinis Antistite institutus est Visitator generalis Angliae, Hiberniae et Scotiae. Iis in regnis integritate, et doctrina sua Ortodoxis atque Heterodoxis augustiorem maxime ordinis temporibus exhibuit romanam fidem, ac summo Catholicorum applausu Religionem strenue promovit: eaque occasione dictus fuit Eques ac magnus Prior Ordinis militaris de Calatrava.

Lovanium reversus Caramuel Jansenianam doctrinam primus confutandam suscepit, et perfunctis pro Ecclesia Dei ingentibus laboribus in Belgio, in Moguntina Dioecesi, et alibi plurimos haereticos ad veritatis tramitem perduxit, ovesque aberrantes ad ovile revocavit. Ejus probitate, zelo religionis, doctrina, et cognitione praesertim architecturae militaris illecti Austriaci Principes, et maxime Augustus Romanorum Imperator Ferdinandus III Caramuelis opera usus est in invisendis Ungariae arcibus, consilioque in extricandis quibusdam gravissimis ac difficillimis negotiis. Quo tempore a Caesare Pragae tunc sedem habente, apud quem etiam Catholici Regis ministri vices gerebat noster Caramuel, non modo insigni Monserratensi Abbatia antiquissimi Benedectini Ordinis locupletatus est, verum etiam constitutus Caesareus Concionator, atque Aulicus Consiliarius, designatusque Rosanensium Episcopus.

Hisce honoribus auctus, semper tamen omnibus curus singulas horum munerum partes tanta explevit prudentia, doctrina, atque omni fortitudine, ut omnium expectationem superaret. Observantiam decretorum sacrae Tridentinae Synodi strenue promovere, atque urgere non destitit, maxime quum Cardinali Ernesto ab Harrac Archiepiscopo Pragensi Vicariam operam in tota Dioecesi praestabat, totisque viribus pro fide laborabat. In Bohemia supra viginti hominum millia ut constat ex expositione Concistoriali ab haeresi ad Catholicam fidem reduxisse fertur, et declaratus Ecclesiasticae militiae tamquam Dux obses-

sam a Suecis haereticis Pragam ingenio et ense liberavit anno MDCXLVIII quum jampridem Lovanium a Batavis anno MDCXXXIII, et arcem Francodaliensem a Gallis anno MDCXLIV forti animo servasset.

Rebus Germaniae praeclare gestis, et officiis sibi delatis ingenti cum laude expletis, Italiam lustrendi occasionem nactus, Romam concessit Caramuel anno MDCLVI nonnulla sui Monasterii negotia tractaturus: ubi benigne exceptus ab humanissimo Pontifice Alexandro VII, qui probe hominem noverat, dum Coloniae Sanctae Sedis nuncius ageret ob praeconceptam de eo famam Consultor Congregationum Sancti Officii, et Rituum declaratur. Iis in muneribus plurima non solum altissimae suae eruditionis, verum etiam eximiae charitatis argumenta universae praebuit Urbi. Cum enim tunc temporis per Urbem grassaretur epidemica lues, indefessus Caramuel circumibat assidue vias, adibat aegrotantium domos, auxilia infirmis praebebat, suis manibus pharmaca ad valetudinem, cibaria ad victum, omnia demum, ut poterat, charitatis officia praestabat, nihilque omittebat ad miserorum incolumitatem, et levamen; quinimo in aliena salute procuranda vitam ipse suam in apertissimum discrimen impavide adducebat.

Hoc tanto molimine rerum admirationem, et plausus omnium adeo excitavit, ut ipse Alexander VII exardescens studio de eo benemerendi ampliorem Dominici agri portionem Caramueli committendam putaverit, ea qua uberior messis tam eximii cultoris industria Ecclesiae obveniret. Quare anno MDCLVII Caramuelem designavit Episcopum Campaniae et Satriani in Regno Neapolitano. Non desunt inter Scriptores, qui putant, laudatum Summum Pontificem de Caramuele inter purpuratos Patres annumerando animum habuisse, quamvis deinde res alio cesserit, iis de causis, quas recensere nostri non est instituti. Caesare igitur annuente, et sponte resignatis omnibus Germaniae dignitatibus Romae a Cardinali Francisco Maria Brancaccio doctissimo Episcopo Portuensi die IV Julii anno MDCLVII in sacra divi Caroli ad cursum aede Summo Sacerdotio initiatur.

Suscepta Episcopali unctione Germaniam iterum petiit novus Antistes ab Imperatore Leopoldo invitatus, ut solemni coronae imperialis impositioni Francofurti assisteret. Qua peracta illico desponsam sibi Ecclesiam adiit, ubi magnifico apparatu, et maximis reverentiae significationibus ab utriusque Ecclesiae civibus receptus fuit. Pro adimplendis muniis Episcopalibus remissam Cleri disciplinam restituere, populique mores cathechismo, concionibus, et scriptis corrigere primum adgreditur; mox Apostolicam Dioecesis visitationem maximo cum

incommodo et labore instituit. Magnam ejus Dioecesis partem montes et praerupta occupant; qui eos montes incolunt plane rudes, numeroque frequentes pastoritia exercent, asperrima igitur, ascensuque difficillima loca adire volebat vigil Pastor, etsi de via fessus ac viribus fractus ad confertam populi multitudinem sermonem habebat, ignorantes instruebat, Sacramenta conferebat, cunctisque viam salutis monstrabat. Occurrebant identidem, ut est locorum natura, parum idonea ad recreandum hominem media, et lassitudine confectum diversoria, seu verius monticulorum gurgustia, pastorumve mapalia: ibi jucunde diversabatur, ut suum gregem pasceret, qui Principum aulis olim erat assuetus.

Post habitam visitationem decrevit, ne deinceps in foro contentioso pro rationibus adhiberentur exclamationes, praeces, et perorationes. Palatium Episcopale miris picturis, quae etiam nunc conspiciuntur, ornavit. Etsi autem tot suppeditaret Pastoralis suae sollicitudinis, charitatisque argumenta, nihilo secius pro tuenda Ecclesiastica immunitate, jurisdictioneque Episcopali vindicanda plures controversias sustinere coactus fuit; solitus proinde dicere se in eam Dioecesim missum, ut suorum peccatorum poenitentiam ageret; omnia tamen forti animo atque impavido superavit, quinimo Regio diplomate fuit delectus ad visitandas omnes Neapolitani Regni arces, eoque dum Hydruntum viseret anno MDCLXXII Archiepiscopus Adarzo olim Viglevanensis Antistes Hydruntinam Ecclesiam renunciare volebat.

Verum dum agro sibi commisso optima ingereret solertissimus cultor fidei, morum ac disciplinae semina, quae in uberrimae spem messis jam adolescere coeperant, atque ubique praeclara suae eruditionis et charitatis signa praeberet, a Catholico Hispaniarum Rege ad infulam promovetur Viglevanensem idibus Septembris anno MDCLXXIII. Ad translationis nuncium ingens luctus Campaniensem, et Satrianensem gregem occupavit, adempto enim tam docto et benefico Pastori vix parem unquam alium se habituram haud sperabat. Novi itaque Episcopatus possessionem per Procuratorem assecutus est Praesul Caramuel quarto idus Novembris, et qui Hispaniam, Angliam, Italiam, Germaniam universam non semel percurrerat, finitimasque provincias peragraverat, tandem Viglevanum venit a Civibus prae fama, quae apud ipsos, totamque Italiam de tanti viri doctrina, et virtute percrebuerat, summis obsequiis, atque amoris significationibus exceptus. Hic non est omittendum, quod a pluribus Scriptoribus traditum est, Antistitem Caramuelem pro Apostolicis litteris in utriusque Episcopatus

adeptione nihil solvisse, debitamque pecuniam tum ab Alexandro VII, tum a Clemente X dignis de causis ei condonatam fuisse

Ad novae Ecclesiae procurationem manum admovendo institutum, quod vocant Doctrinas Christianae, illi maxime cordi fuit, Scholas ad tradendam maribus, foeminisque separatim Religionis nostrae rudimenta per Ecclesias foris et in Urbe promovit (3), atque ut sacram Cathechesim tam ediscentes, quam edocentes Apostolicarum indulgentiarum munera assequi possent, Scholas, seu Societates Christianae institutionis, quatenus alias erectae fuerint, approbavit, confirmavitque; et quatenus institutae non fuerint, eas canonice erexit, et statuit, ac sanctissimis regulis, decretisque anno MDCLXXIV in lucem editis communivit. In catechizandis pueris, ac puellis incredibili patientia, atque alacritate ad horas ipsemet perstabat, factus cum Apostolo veluti parvulus in medio eorum, et praemiis ac munusculis eos alliciebat.

Rusticanae quoque genti, rudi, abjectaeque plebi Christianis praeceptis instituendae operam in Æde summa cum daret ad eorum se ingenium et mores mirifice accomodabat. in id operis diligentissime intentum semel, iterumque Viglevani demirati sunt Tribuni, et Duces agminis Hispani. Suis quoque temporibus vivo, et efficaci sermono hominum flagitia constanter, et libere increpabat. Post vesperas diebus Dominicis in Sacello Divi Hieronymi ad Canonicos, ceterosque de Clero sermonem habebat, et quandoque Doctrinae expositae hypodidascalos eos esse volebat.

Tamquam vigil Pastor antelucano tempore surgebat, et in Choro cum Canonicis matutinae psalmodiae attente ac devote operam dabat sacra Exomologesi fere omnibus diebus sordes expiabat, atque Omnipotenti Deo placationis hostiam quotidie offerebat, Sacramenta libenter suppeditabat, et omnibus omnia factus assidui Pastoris munia obibat. Inter alias enim dotes rutuit quam maxime ejus charitas erga pauperes, etenim modico victu, coenobitarum instar contentus, quidquid supererat, egentibus tribuebat: tantaque erat et beneficentia et liberalitate, ut quandoque ingentem pecuniae summam elargiretur, cum neque nummos, neque nummorum species, prout memoriae proditum est, inter tot eruditiones agnosceret.

(3) In Ecclesia S. Antonii Villae Sfortiacae ubi jam aliquod sacrae catechesis institutum aderat Doctrinae Christianae scholam ritu erexit ut patet ex ejus Decret. 28 Septemb. 1674. Sic etiam sacras instituit scholas in aede S. Marci et in templo S. Caroli in regione vulgo dicta dei Piccolini jam ab anno 1655 ab illo inchoatas ...

Non solum omnibus temporibus ab Ecclesia assignatis, verum etiam pluribus diebus festis solebat Clericis etiam exteris sacros Ordines debitis facultatibus conferre, et inter alios insignes viros ab Episcopo Caramuele Sacerdotio initiatos enumeratur Servus Dei Benedictus Jacobinus Varalli Praepositus, cujus vitam conscripsit Ludovicus Muratorius. Dioecesim praeterea lustravit, reservationem casuum ad perpauca reduxit delicta, a ferendis novis legibus temperandum sibi prudenter existimavit, edita tamen a suis Praedecessoribus ad disciplinae instaurationem, et custodiam decreta per graves epistolas pro rerum, ac temporum varietate in memoriam revocabat, eaque ab omnibus in posterum servanda auctoritate quoque sua firmabat: omnes autem Caramuelis virtutes ea sustentabat animi firmitas, ut Ecclesiae leges custodiret, licentiam coerceret, et omnes in officio contineret. Quidquid autem a pastoralibus curis supererat temporis, totum insumebat in conscribendis multis libris (3), et pro iis facilius excudendis typographiam in aedibus Episcopalibus collocavit, ibique insignes typothecas habebat (4), qui ejus volumina non sine multi aeris impensa continuo in lucem edebant, typorum elegantia, et varietate characterum spectabilia. Auxerant autem apud universam Europam Praesulis Caramuelis opinionem tum opera ejus, quae in dies evulgabantur, tum virorum illustrium inita consuetudo, qui ad eum veniebant, consilia, et modum rerum agendarum excepturi. Ejus sapientiam non solum mercatores, pubblicani, trapezitae, sed viri amplissimi, gravissimi judices, insignes copiarum duces, omniumque denique Ordinum homines difficillimis in rebus saepe consulebant.

Gravissimis hisce curis distentus ea etiam non praetermisit, quae ad Ecclesiacum constructionem, elegantiamque promovendam quoquo modo pertinebant: propterea piis nonnullorum hominum votis concessit, ut in Viglevanensi territorio aliquae construerentur Ecclesiae (5), ad hoc ut divinus augeretur cultus, et populi sacris commodius adesse possent. Insuper ut piae indulgeret petitioni fundatricis Joannae Eustachiae (quam *la buona vecchiarella* appellare consueverat)

(3) Elenchus librorum a Caramuele Conscriptorum dabitur in hujus Capitis fine

(4) Plerumque in rebus typographicis utebatur opera Camilli Conradi Mediolanensis, qui officinae praeerat typographicae

(5) Indulsit die 6 Augusti anno 1674 ut aedificaretur Ecclesia S. Bartholomei in regione quam dicunt *ai livelli*. Approbavit die 5 Augusti 1680 ut extra portam Vallis construeretur Ecclesia sub Sanctissimi Crucifixi nomine. Pari modo in S. Laurentii Martyris honorem permisit constructionem templi in regione trans flumen Terdupii seu Terdoppi appellato *la Castellana*

summo apparatu, et solemni ritu inter musicales concentus tertio decimo Calendas Novembris anno MDCLXXX amplam dedicavit Ecclesiam Monialium sub titulo S. Clarae confluentibus ad sacram actionem plurimis etiam advenis (6). Praeterea cum Carolus II Hispaniarum Rex publicis litteris suam testatus esset venerationem in Patriarcham S. Joseph sponsum B. M. V., eumque universae suae ditionis patronum et tutelarem declarasset, Episcopus Caramuel piissimi sui Regis obsequens voluntati jussit, ut S. Patriarchae festum maxima solemnitate concelebraretur (7).

De iis autem quae ad Urbis ornatum conferre poterant sollicitus plurimum fuit. Ipse enim aedes Episcopales restauravit, *praetorium* praesertim et Aulam amplificavit, sed inter alia egregia opera monumentum semper memorabile et Caramuele dignum erit frons, seu prospectus Ecclesiae Cathedralis mirandum in modum ab eo inventus, et non sine multi aeris impensa a fundamentis erectus, partim ex lateribus collectis ex demolitione aedium alias existentium penes Ecclesiam sub nomine B. Virginis Lauretanae sitam extra urbis muros, et partim aliis a civitate oblatis redditibus.

Ad faciliorem magnificae hujus constructionis intelligentiam a proposito non abhorret praemittere inter alia egregia aedificia Viglevani adesse magnam Plateam in formam Parallelogrami eleganter constructam, et totius Insubriae speciosissimam, quam prope antiquum Castellum, seu Palatium Ducale dirutis circa forum veteribus domibus ampliavit, atque aequalibus fornicatis porticibus, ac recte dispositis arcubus supra columnas octoginta sex marmoreas exornavit, atque magnifica turri a celeberrimo architecto Bramante delineata munivit

(6) Quamvis hoc S. Clarae Monasterium non sit sub clausura, neque alio Religionis voto adstringantur Virgines quae in eo Collegiali modo vivunt, tanta nihilominus ibidem extat religiosorum virtutum fragrantia, studiumque in bene educandis puellis, ut ejusdem suavitatis odore tota haec civitas recreetur.

(7) Brambilla in MSS. additionibus ad lib. *Chiesa di Vigevano*, pag. 150, haec refert: *Avendo la Maestà del Re nostro Carlo II per sua lettera data in Madrid li 10 Decembre 1678 che comincia Por la devocion, que profeso al glorioso S. Josef &c. resuelto etc. manifestata la sua religiosa pietà verso il Patriarca S. Giuseppe dichiarandolo solennemente tutelare, e protettore di tutti i suoi dominii e Stati, perciò la Città a tenor dell'Ordine del Governatore di Milano, radunata in Consiglio generale stabilì di far festa solenne nel giorno di detto Santo e di ricorrere a Monsignor Caramuele per concertare il modo da celebrar detta festa. Eppero nel mese di Febbrajo 1680 fu ordinato che nella solennità del Santo si facesse una processione generale di tutto il Clero Secolare e Regolare, e delle Confraternite dei Disciplini, indi si cantasse Messa con Musica e Panegirico; il che si fece nella seconda festa di Pasqua essendo stato impedito il giorno della sua festa dalla quantità delle pioggie. Nella sera di questo giorno si fece grande allegrezza sopra la Piazza collo sbaro de' mortari, fuochi artifiziali ed illuminazione.* Ferg [illegible] idem habetur in Archiv. Civ.

anno MCCCCXCII Ludovicus Maria Sfortia Insubrum Dux clarissimus [8]. In faciem hujus magnae plateae in obliquum atque ab angulo recto paullulum declinans aedificata fuit Ecclesia Cathedralis, cujus antiqua et rudis frons transversim plateam prospectabat, et prae obliquitate spectatorum oculos divexabat. Huic deformitati occurrere volens magnus Caramuel ante plateam ad angulum rectum nobilem constituit Ecclesiae Cathedralis frontem, seu prospectum ordinis compositi, columnis, statuis, aliisque marmoreis ornamentis refertum, et totius plateae latitudine ingeniose complectentur. Hujus aedificii partes adeo symmetrice cum platea exurgunt, ut amplissimum, elegantissimumque componant cavedium, et facile omnium intuentium oculos in sui admirationem rapiant. Miro hocce architectonico consilio, et obliquitatis deformitas fuit ablata, et pro baptismali fonte perbelle emersit apta luculentaque aedicula incumbens uni laterum trianguli isoscelici a novo et veteri Templi prospectu efformata. Pergrande hoc opus apud omnes ingeniosissimum habitum ad perfectionem redactum fuit anno MDCLXXX una cum egregio propilaeo marmore strato, et lapideis columellis a profana area distincto.

Splendido huic operi aliud non minoris momenti addidit insignis Antistes, ex quo etiam Clericorum Seminario nonnihil utilitatis contulit. A medio fere dictae plateae, et in faciem turris inspiciebat antiquus clivus, seu ampla via ex lapidibus, et lateribus efformata, per quam paullatim ad Ducale Palatium iter patebat etiam quadrigis. Lata haec via interrumpebat domuum connexionem, et perystilum seu seriem columnarum, quibus una cum reliqua porticu cingi debebat universa platea, atque omnem tollebat venustatem, et majestatem, quae resultat ex ordine columnarum successiva. Eapropter in populi frequentia et praecipue in publicis supplicationibus graves perturbationes, et plurima incommoda oriebantur. Huic inordinationi optime consuluit incomparabilis Caramuel. etenim, impetrata a Catholico Rege facultate, ejus jussu et impensis clivum complanavit, atque ejus loco ingentem et amplissimam ex marmore schalam erexit a porticu usque ad ingressum in turrim, ordinem columnarum, et porticus prosecutus est, ac cum reliqua platea novas connexuit domus, quarum redditus Clericorum Seminario assignavit [9]. Magnifico hoc opere non modo forum ad

(8) Legantur quae narravimus de Duce Ludovico cognomato Mauro, cap 5 pag 51

(9) Lib. ostoilb Archiv Semin. pag 7

praesentem reduxit speciem, et ad singulare Urbis ornamentum perfecit anno MDCLXXXI, verum etiam remota fuit occasio periculosi cujusdam lusus, quo juvenes summopere oblectabantur: hiemali enim tempore, effusa aqua in clivum, effectaque glacie omnis conditionis adolescentes ope araclarum lignearum super quas sedebant, se in praeceps e lubrico clivo dejiciebant, ruebantque talis, tantusque erat impetus, quo jactabantur, ut in apothecas ex diametro oppositas magno strepitu impingentes, et sibi et aliis plura afferrent mala: quare non raro sinistra alia accidebant; quae omnia ab oculatissimo Pastore fuerunt amota.

Neque mirum esse debet, si ejus architecturam felicem semper exitum habuerit aedificia enim etsi senex ipsemet assistebat, et tria conscripsit volumina de architectura civili recta et obliqua (10), multosque alios edidit libros de abstrusioribus scientiis mira eruditione refertos et elucubratos, quandoque alieno nomine, ut amicorum promoveret auctoritatem, ejusque calamus, sicut revirescens arbor, novas semper ad litterariae reipublicae commodum fructus emittebat, adeo ut nec caecitas seni Antistiti assiduis vigiliis, studiisque confecto ultimis vitae suae mensibus oborta impedimento esse potuerit, quin plura dictaret ab ammanuensibus excipienda.

Post varias rerum vicissitudines tandem sub fine vitae suae concessit, et indulsit aliquibus puellis viventibus in Oppido Gambolati sub regula tertii Ordinis S. Francisci, ut regularem vitam degerent, et laudabilem eorum coetum in Coenobium instituit sub Sanctae Clarae tutela. Pari modo controversiam, quae tunc fervebat quam maxime inter Regios Canonicos, et magnificos Civitatis Consules circa locum quo stare debent laudati Consules in Ecclesia Cathedrali, quando actionibus interveniunt pontificalibus, optime composuit et publico decreto firmato anno MDCLXXXII idibus Augusti assignavit locum, et formam sedilium.

Cum sex et septuaginta annos Caramuel expleset, et non modo ex gravi aetate, sed ex sintexi, seu virium defectione brevi se migraturum non obscure praeno-

(10) Alexander VII post aedificatum ante Vaticanum Templum amplissimam plateam quatuor columnarum Ordinibus in Amphiteatri speciem efformatam construere cupiens in altero ejusdem plateae latere fontem omnino consimilem et respondentem illi magnifico jam pridem a Paulo V excitato, cui forte parem non habet tota Europa Caramuelem in architecturae scientia celebrem consuluit an hoc aedificium conveniens esset, et quomodo fieri posset, Caramuel suam aperuit animam, rationesque ob eo adductas Summo placuere Pontifici. Haec omnia habentur apud eumdem Caramuelem in tractatu VII de *Architectura practica*, sect. IX, *de Aedificiis magnificis*. Ejus opera et architecturam laudarunt Imperatores Ferdinandus III et Leopoldus I, nec non Philippus IV Hispaniarum Rex.

aceret plurimis sacrificiis, et copiosis in pauperes largitionibus animae suae serio consulere voluit, atque ad aeternitatis iter rite capessendum diligentius se comparare studuit. Demum assiduis Pastoralis officii curis et laboribus numquam intermissis fructus, gravi apoplexiae morbo correptus est (11), et sacro exeuntium oleo a Praeposito Andrea Vitali inunctus, dum Vesperae in Ecclesia Cathedrali a Canonicis persolvebantur, animam Deo reddidit in pervigilio Nativitatis Deiparae Virginis anno MDCLXXXII (12), cum annos novem Viglevanensem rexisset Ecclesiam. Ejus cadaver post solemnes exequias a Ludovico Septala Episcopo Cremonensi praestitas die decima Septembris humi illatum fuit in Templo maximo hoc brevi epitaphio:

MAGNVS CARAMVEL EPISCOPVS . VIGLEVANI

At e regione ejus sepulcri in Sacello Mortuorum appellato sub effigie pluribus libris ornata hoc extat elogium in marmore insculptum:

D . O . M
EN . VBI . LINGVA . SILET . ET . CALAMVS
MAGNI IOANNIS CARAMVEL
QVI VEL XI ÆTATIS ANNO LIBROS SCRIBENS
MOX MONACHVS
PONTIFICIBVS CARVS AC REGIBVS
XXX HOMINVM MILIA REVOCAVIT
AB HÆRESI
OBSESSAM INGENIO ET ENSE LIBERAVIT PRAGAM
LINGVAS OMNES EDOCTVS ET DISCIPLINAS
VITAE ANNIS ÆQVAVIT VOLVMINA
IN LXXVII ITA VEGES VT NVNQVAM OTIATVS
DEMVM SVIS IN OPERIBVS IMMORTALIS
NVNCIO COMETÆ TVNC NATO CVM OBIIT
DVM IN HAC CATHEDRALI EPISCOPI ÆTERNVM CLARI
PRO . NATAE . VIRGINIS . FESTO . VESPERAS . SOLVEBANTVR
COELO NATVS TERRAS RELIQVIT
ANNO MDCLXXXII

(11) Ut constat ex lib. Mort. Eccl. Cathed.

(12) Hoc anno et paullo ante mortem Episcopi Caramuelis, ut ejus temporis Scriptores referunt visus fuit Cometes arcus speciem habens, totumque occupans hemisferium qualis vix fortasse ab Orbe condito numquam antea visus est. Vide *Tadisium nelle memorie sulla vita di Monsignor Caramuele* pag. 137 et Musantium in *Tabulis Chronolog.*, tab. 15, pag. 172

Parentalibus tanto Antistiti persolutis Canonici electores die decima Septembris Vicarium Capitularem rursus delegerunt Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Antonium Bonfilium Viglevanensem.

Non solum Viglevani atque in universa Mediolanensi Provincia Pontifici Caramueli justa funebria sunt persolute, sed in pluribus Europae Academiis, Sorbonae videlicet, Salmanticae, Compluti, Hispalis, Pragae, Lovanii, et Conimbrise solemnia funera sunt concelebrata, Viennae vero Austriae adeo insignes fuerunt exequiae in Basilica maxima habitae, ut eas ipsimet Augusti Principes sua cohonestare voluerint praesentia.

Obiit quidem Caramuel ut debitum naturae tributum persolveret, sed ejus memoria in multis voluminibus (13) tam erudite, tamque ingeniose conscriptis perennis

(13) *Elenchus omnium librorum a Joanne Caramuele Episcopo Viglevanensi typis editorum*

Caramuelis primus calamus Matriti 1617 et Romae 1668 in 4
Steganographia Bruxellis 1636, Coloniae 1637, Duaci 1643 in 4.
Coelestes Metamorphoses Bruxellis 1638 in 4
Musaeum Martis. Bruxellis 1638 in 4
Philippus prudens. Antverpiae 1639, fol fig
In Benedicti regulam Commentarius historicus scholasticus moralis judicialis politicus. Brugis 1640, fol fig.
Mulivura juris Antverpiae 1638 in 4
Philosophia physica Lovanii 1638 fol
Metalogica Francofurti 1654, et Viglevani 1680 fol
Praecursor logicus Francofurti 1654 fol
Psalmus Confessionales Bruxellis 1638 in 12.
Declaracion mistica di las Armas de Espanna Bruxellis 1639 fol fig
Theologia Regularis Brugis 1640, Francofurti 1644 Venetiis 1651 in 4.
Respuesta al manifiesto del Regno de Portogal Antverpiae 1641, Lovanii 1642, Sanctangeli 1644 in 4.
Sebastianus ad filios Bernardi etc. Lovanii 1641, Francofurti 1644, Venetiis 1651, Sanctangeli 1667 in 4
Sublimium ingeniorum crux Lovanii 1642 in 4
Mathesis audax Lovanii 1642 in 4
De novem Sideribus circa Jovem Lovanii 1642 in 4
De perpendiculorum inconstantia. Lovanii 1643 in 12
Excellentissima domus de Melo Lovanii 1643 in 12.
Severa argumentandi methodus Duaci 1643, Lovanii 1644, Francofurti 1654 in fol
Joannes Bergantinos Lovanii 1643 in 4
Liber de Praecedentia Lovanii 1644 in 4
De Arte Militari Frankendaliae 1644 fol
Scilla et artis adviteis Lovanii 1644 fol.
Bernardus triumphans. Lovanii 1644 in 4
Theologia Moralis Lovanii 1645 fol
Nova moralis Viennae 1645 in 4
Sacri Romani Imperii pax Francofurti 1647 in 4, et Viennae 1646 fol
Maria Liber Pragae 1647 in 4.
Encyclopedia concionatoria Pragae 1646 in 4.
Grammatica in Pseudo-Arabico idiomate Francofurti 1651 et Coloniae 1665 fol
Theologia Fundamentalis. Francofurti 1651 in 4, Romae 1656, fol to 2, Lugduni 1657 fol 3, Ibid 1675 fol to 3
Hierarchia Ecclesiastica, Pragae 1653 fol to 1
Grammatica audax Francofurti 1654 fol
Conceptus Evangelici Sanctangeli 1654 fol
Dominicus Viennae 1655 fol.
Herculis Logici Labores tres Francof 1655, et Viglevani 1680
Cabalas Theologicas excidium Romae 1656 fol
Apparatus Philosophicus. Francof 1657, et Coloniae 1665 fol
Grammatica Linguae Latinae. Romae 1663 fol
Apologema de probabilitate Lugduni 1663 in 4.

vivet, vivent ejus opera publicae admirationi exposita: propterea inter prima litterariae reipublicae lumina fuit relatus, et ob rerum gestarum magnitudinem cognomento *Magnus* appellatus. Quamquam tam honorificis virorum illustrium praeconiis celebratus sit Caramuel, multorum tamen est expertus censuras Scriptorum (14), qui ingenium quidem sublime, omnigenamque eruditionem sunt

Metametrica. Romae 1663 fol. to. 2.
Rhythmica. Sanctangeli 1654 fol. Campaniae 1668 fol.
Syntagma de arte typographica. Lugduni 1664 fol.
Theologia intentionalis. Lugduni 1664 fol.
Theologia praeter intentionalis. Lugduni 1664 fol.
Pandoxion Physico Ethicum. Campaniae 1668 fol.
Theologia Regularis. Lugduni 1665 fol. tom. 2.
Arte nuova di Musica. Romae 1669 in 4.
Boetius. Pragae 1650.
Interim astronomicum. Campaniae 1670 fol.
Haplotes de restrictionibus mentalibus. Lugd. 1676 in 4.
Dialexis de Non-Certitudine. Lugduni 1675 fol.
Mathesis Biceps. Campaniae 1670 fol. to. 2, to. 3 Laminae.
Architectura Civil recta et obliqua. Vigleval 1681, fol. t. 2 Laminae.
Trismegistus Theologicus. Viglevani 1679, fol. tom. 4.
Phosphorus philosophicus. Viglevani 1675 fol.
Benedictus Christiformis. Viglevani 1680 fol. fig.
Logica vocalis, scripta, mentalis, obliqua. Viglevani 1680.
Pandectae philosophicae. Viglevani 1680 fol.
Logica moralis, seu politica. Viglevani 1680, fol. to. 2.
Architectura Civilis. Viglevani 1676 fol.
Critica philosophica. Viglevani 1681 fol.
Leptotatos. Viglevani 1681 fol.
Architectura coloral. Viglevani 1681 fol.
Diatriba Praeambula. Viglevani 1681 fol.
Physik-Ethicam. Viglevani 1676 fol.
Met-Ethica. Viglevani 1682.

(14) De censuris in Caramuelem illatis consulatur liber inscriptus: *Vita del P. D. Ilarione Rancati dell'Ordine Cisterciense scritta dal Padre D. Angelo Fumagalli Monaco dello stesso Ordine*: ubi pag. 27 haec habentur: *Si leggo la famosa opera manoscritta intitolata* Consulta ecc. P. D. Ilarionis Rancati *raccolta dall'instancabile industria del P. Abbate D. Francesco Ferrari, dove avvi la censura alla Teologia fondamentale di Monsignor Giovanni Caramuele prima Monaco Cisterciense, e poscia Vescovo di Vigevano, che ad esso fu fatta dal detto Padre Abate essendo presente, e col consentimento dello stesso Caramuele, il quale dalla forza vinto degli argomenti da lui prodotti dovette alla fin ritrattare e correggere molte delle sue proposizioni.* Deinde pag. 408 sequentia leguntur: *Si riferisce un viglietto scritto da Alessandro* VII *(Chigi) al detto Padre Abate Rancati su alcune opere di Caramuele. A questo viglietto fece il Padre Abate una risposta esistente ancora nel volume primo delle sue lettere, della quale, potendo essa servire assunda d'Apologia allo stesso Caramuele sopra alcuni Capi da diversi scrittori accusato non ho creduto fuori di proposito il farne qui copia.*

Ho visitato dopo un gran tempo il Padre Abate Caramuel, e l'ho trovato tutto contento della memoria che la Santità vostra conserva di lui, come gli attesta l'Ambasciatore di Spagna. Non odo parola d'impazienza: mi ha detto del nuovo libro che ha composto, ma non stamperà prima di darlo MS. alla S. V. Se fosse vero, che la Congregazione dell'Indice non fosse soddisfatta del libro da lui corretto non ho dubbio che egli anche con nuove correzioni, se bisogneranno, le darà soddisfazione, perchè non pecca di contumacia, anzi è tutto rassegnato, come lo saranno anche i revisori, se a caso per difetto loro sarà trascorsa qualche cosa; e così non sarà necessario, se così parerà alla S. V., che per questo conto si ritardino gli effetti della benignità della S. V. verso il P. Abate etc. Dal Monastero di S. Croce in Gerusalemme li 10 Dicembre 1658.

Caeterum cum reviviscet Caramuel nonnullas suae fundamentalis *Theologiae* sententias Francofurti editas anno 1650 falsas a S. Sede proscriptas statim eas ipsemet rejecit, retractavitque, ut patet ex nova editione, quam emendatam typis Romanis denuo commisit anno 1657, eamque Summo Pon

admirati, sed nonnullas ejus sententias in rebus theologicis improbarunt, nimiamque in moralibus benignitatem merito objecerunt. Verum ejus defensores communi eorum temporum opinandi licentiae aliquid dandum esse censent.

tifici Alexandro VII nuncupavit. In hujus praefatione haec leguntur : « In hac editione rejectis plurimis sententiis (laxis) quas merito, nec veritas, « nec Theologorum prudentia admittit, et rejectis « multis opinionibus mollia (benignis) fundamen « tales assertiones ponuntur ».



CAPUT XIX.

DE FERDINANDO DE ROXAS

DECIMO SEXTO VIGLEVANI EPISCOPO

Ferdinandus de roxas (1) natione Hispanus Oppidum Palentinae Dioecesis Corsel appellatum patriam sortitus est, patremque habuit praeclarissimum Virum Bartholomaeum de Roxas Praesidem Oppidi vulgo appellati *Singheja*, matrem vero Catharinam Gonzales-Cabo nobilis etiam, et clarae originis foeminam. Adolescens cum esset rethoricae, et philosophiae studiis apprime excultus egregia indole, bonisque moribus mirifice exornatus, Ecclesiasticae disciplinae, divinisque litteris animum applicuit; in iisque adeo profecit ut in amplissima Salmanticae Universitate Theologiae Magisterium, et Doctoris gradum emeruerit. Vix autem sacrarum scientiarum studia peregit, cum regius Concienator, et paulo post antiquae Cathedralis Coriensis Ecclesiae Canonicus Magistralis, et Sacrae Inquisitionis praefectus est renunciatus. In iis muneribus illustrem famam adeptus, ad tuenda Ecclesiae jura, et ad pertractanda gravissima alia negotia apud Regem et Matritenses Magistratus non semel a suis Canonicis fuit delectus (2) Am-

(1) Ab aliquibus scribitur *de Rochas*, ab aliis *Rochas* et *de Rosas*. Caeterum tam in Archiv. Cancell. Episc. et Capit., quam in Romano diplomate semper inscribitur *de Roxas*. Fortasse haec nominum varietas ortum habuit ab Hispanica pronunciatione qua mutatur *x* in *ch*.

(2) Inter alia optime gesta, dum Matriti commorabatur, obtinuit pro sua Coriensi Ecclesia, quae patronum colit S. Petrum de Alcantara sacram reliquiam, insignem videlicet brachium ejusdem Sancti doctorem, quod se thesaurum, gemmisque ornata asservabatur, summaque veneratione Matriti colebatur in Ecclesia S. Egidii ad Coriam delatum veluti pretiosum pignus a Ca-

plissima concredita munia dum summa fide, integritate, et singulari in pauperes charitate exequitur Ferdinandus de Roxas a Carolo II Hispaniarum Rege, procurante Albae Ducae, ineunte Martio anno MDCLXXXIII Pontifex creatur Viglevanensis, licet aetatis suae annum quartum supra trigesimum tantummodo ageret.

Itaque parentibus, patria, amicisque relictis, Romam petiit de Roxas, ibique publico praeconio die XX Decembris memorati anni ab Innocentio XI Pontifice Maximo inauguratus est Episcopus Viglevanensis; dieque XXVII ejusdem mensis ab Alexandro Crescentio Patriarcha Alexandrino ad aram maximam templi S. Mariae in Vallicella Sacro fuit Chrismate delibutus (3). Suscepta postmodum per procuratorem die prima Februarii insequentis anni (4) jurium Episcopalium possessione ad concreditam Ecclesiam ocissime perrexit, in cujus administratione licet brevi versatus tempore ita se se gessit, ut et mansuetudine morum omnibus carus esset, et pietate, diligentiaque Ecclesiae recte gubernandae praeclarum specimen exhibuerit.

Ab hujus pii Praesulis adventu initium duxit laudabilis consuetudo recitandi quotidie circa XXIII horam in templo maximo ad aram Beatissimae Virginis quinas ex Rosario decades cum precibus seu Litaniis Lauretanis (5). Etenim cum eximius Pastor die XIII Februarii anno MDCLXXXIV ad dilectum gregem accessisset, atque e rheda ad Ecclesiae Cathedralis fores excendisset in eam ingressus prece ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum effusa, ac viso magni Caramuelis proximi sui decessoris tumulo, mox altari gloriosissimae Summi Numinis Matri advolutus, sacram ejusdem Rosarii partem attenta mysteriorum, quae per singulas decades proponi solent meditatione, cum Seminariensibus alta voce recitare coepit, respondente populo, qui ad festivum universi aeris campani sonum accurrerat, ut novum suum Pontificem inviseret, eique summa obsequii vota solveret. Hoc orandi genus quoad vixit, incredibili pietatis sensu est prosecutus; neque inter graves etiam curas unquam intermisit.

Ut Ecclesiae suae bono, quam fieri posset, optime prospiceret parentibus, patria, reliquis posthabitis, ut Pater optimus, Pastorque vigilantissimus totum

omnia Ferdinando de Roxas aquisitum Clero etiam nunc venerandi permultum. Haec et plura alia monumenta ad praesulem de Roxas spectantia, procurante praeclarissimo Abb. D. Juliano de Bonfe nobili Hispano et amplissimo Coriensis Ecclesiae Capitulo nobis fuerunt communicata.

(3) Acta Romana nobis comparata per Clarissimum Ambrosium Ecbam Mediolan. Min. Obs. S. Rom. Inquis. Consult. et Examinator Apostolic.

(4) Archiv. Capitul.

(5) Idem Archiv. Capit. et MSS. Bibliotheca S. Ignatii.

se tradidit nutriendis suae Dioecesis ovibus. Erat is pauperum amantissimus, et Pontificii muneris initia a charitate in pauperes voluit exordiri. E redditibus enim amplissimae suae dignitatis quidquid suo modicaeque familiae necessario superesset sumptui, fideli dispensatione egenis benigne distribuebat; atque aliquando ipse inopior aliena paupertie dolebat se non habere quod amplius largiretur (6). Infirmorum hominum praesertim pauperum delectabatur consortio nihilque illi jucundius, quam cum viliora aegrotantium tuguria obiret, luctantibusque cum morte suprema afferret religionis subsidia. Agebat cum illis sicut pater cum filiis, eorum suspiria temperabat, et licet corpore non admodum firmo, sed imbecillo potius esset, somni tamen et cibi, salutisque suae immemor ad omnes, qui in extremo agone essent diu noctuque accurrens, personarum acceptione remota, pontificiam ipse impertiebat benedictionem. Eodem charitatis spiritu incensus Novariam petiit, ut solemnia justa persolveret Josepho Mariae Maravighae illius Civitatis Episcopo vita functo die 19 Septembris anno MDCLXXXIV (7).

Assiduis Christianae Charitatis officiis adjunxit studium promovendi divini cultus, quem non solum auxit pietatis ac religionis exemplis, verum etiam piis scriptis inter quae excellit quidam spiritualium exercitiorum liber ab eo elucubratus ultimo vitae suae anno (8).

Ut autem melius componeret, ordinaretque Ecclesiam suam, optimum duxit commissas oves cognoscere. Vix enim ad eam accessit cum statim de lustranda Dioecesi cogitaverit (9). Qua de re anno MDCLXXXIV Dominica secunda Octobris Apostolicae Visitationis, praemissa pia et dissertissima oratione, initium dedit. Ea occasione probato per se et per spectatae probitates viros spiritu nonnullarum Virginum postulantium vivere Collegiali modo sub clausura, ac regula S. Theresiae, omnibus serio perpensis earum precibus annuit et publico suo decreto incipiente: *Spiritus ubi vult spirat*, data die XX Decembris anno MDCLXXXIV instituit, prout jampridem pro dicta institutione consensum praestiterat ipsius Antecessor Episcopus Caramuel, atque authentica ratione erexit novum coetum Virginum Carmelitarum excalceatarum viventium sub rigida S. Theresiae regula in verum Collegium seu Monasterium cum omnibus privilegiis et praerogativis,

(6) MSS. bibliot. S. Ignatii

(7) Archiv. Eccles. Cathed. Novariae

(8) Liber Exercitior. Spirit. ab Episc. de Roxas conscriptus asserv. in biblioth. S. Ignatii

(9) Acta Visitatio Cancell. Episcop.

quibus caetera condecorantur Monasteria, assignata pro recenti Collegio domo ab Archipresbytero Bernardo Fossa laudatis Virginibus attributa [10] mandavit tamen ut recentes Moniales clausuram servent Episcopalem, atque in omnibus ordinariae subjaceant jurisdictioni. Pari modo piis quibusdam Virginibus militantibus in Oppido Gambolati sub regula tertii Ordinis S. Francisci indulsit, ut in novo Coenobio aediculam sub titulo S. Clarae construerent ad sacra ibi habenda, et postquam in ea Missae Sacrificium ipse obtulisset die xxx Novembris anno MDCLXXXV a jurisdictione Praepositi S. Gaudentii exemit Moniales, et sub potestatem ejus qui sacras earum acciperet confessiones, consulto redegit [11].

Dum autem totus est Episcopus Roxas in promovendo Dei cultu, et in propaganda variis modis veneratione erga Beatissimam Deiparam, quam singulari pietate, et humillimis obsequiis semper coluerat, et dum majora in Religionis incrementum animo evolvit pro reformandis Cleri, populique moribus, maligna febri, pectorisque inflammatione afficitur, qua diligenter quidem a medicis, sed frustra curata, imminentem sibi mortem persensit. Quare divina ut remedia adhiberentur, rogavit, excepitque Sanctissimum Christi Corpus, et cum sacro esset oleo delibutus pari cum constantia, et religione; omnes Templi maximi Canonicos ad se vocavit, eisque ut haereditatem reliquit, atque enixe commendavit quotidianam precationem Sacri Rosarii ad aram Beatissimae Virginis Dei Matris. Cum autem se jam mori sentiret, deficeretque vox, audire voluit Missae Sacrificium ejus jussu in domestico Sacello summo mane celebratum, atque integris probe sensibus menteque hilari quievit in pace anno MDCLXXXV die Dominica, idest xxx Decembris annos natus triginta sex vix completo pastoralis sui regiminis biennio. Immaturam ejus mortem omnes boni et maxime pauperes, cunctique cives defleverunt, et doluerunt, quam maxime obiisse in robore aetatis suae Pastorem egregium, a quo ut ab amantissimo patre sibi omnia fausta praestolabantur. Defuncti Pontificis cadaver post solemnia justa, die tertia Januarii sequentis anni celebrata, a Comite Lelio Ardizono Episcopo Casalensi tumulo mandatum fuit sine inscriptione ante Sacellum Beatissimae Virginis Ecclesiae Cathedralis, et prope sepulchrum Venerabilis Episcopi Odescalchi [12].

Post tanti Antistitis jacturam Canonici Electores nonis Januarii anno MDCLXXXVI

(10) Archiv. Monial. Carmelit.
(11) Archiv. Monial. S. Clarae Gambolati.
(12) Liber Mortuor. Eccl. Cathed.

rite convocati ob alias perspectam Archidiaconi Bonfilii justitiam, et disciplinae zelum suis suffragiis cum tertio Vicarium Capitularem dixerunt. Praesul Bonfilius fuit deinde Vicarius Generalis sequentis Episcopi, et Praepositus Ecclesiae Cathedralis, atque per annos quinquaginta examinator Synodalis, jampridem constitutus in ultima Dioecesana Synodo habita anno MDCCVII ab Episcopo Ardurzo. Ipse autem ut propensissimum in Ecclesiam Cathedralem animum exprimeret sex ex argento satis magna candelabra munifice ei dedit anno MDCCVII.

Electo Vicario Capitulari, ne pium et salutare psallendi quotidie in Ecclesia Cathedrali tertiam Sacri Rosarii partem institutum obsolesceret, plures Canonici, etsi non paucis aliis oneribus gravati agnoscentes innumerabiles fructus qui ex hoc orandi modo dimanant, et memores quantum eis hoc religionis opus commendasset Episcopus Roxas morti proximus, pro eorum singularissima in Virginem Deiparam pietate, et devotione inter se convenerunt de continuanda quotidie per vices praedicta Sacri Rosarii praecatione, extra ullam tamen obligationem. Ex quo mirabiliter factum est ut usque in hodiernum diem sine intermissione idem pietatis officium ante aram Sacratissimae Dei Matris Canonici vicissim sint prosecuti.

Hoc eodem anno MDCLXXXVI die XVIII Novembris Universitas, seu Collegium Mercatorum et Negotiatorum Viglevani institutum, et erectum fuit, eique praerogativas et privilegia plura concessit Mediolanensis Senatus, ut videre est in institutionis diplomate. Nuper vero Clementissimus Rex Victorius Amedeus ad augendum commercii opulentiam laudatae Universitatis privilegia amplificavit (15), ut constat ex ejus litteris in Civitate Montis Calerii datis die XXII Augusti anno MDCCLXXX incipientibus: *Nelle circostanze d'essersi coll'editto nostro, ecc.*

(15) Videe quae diximus cap. I. pag. 9.

CAPUT XX.

DE PETRO MARINO SORMANO

DECIMO SEPTIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Inclyta Mediolanensis Civitas octo Episcopos, omnes vera laude dignos nostrae praebuit Ecclesiae inter quos Petrum Marinum Sormanum numeramus, cujus memoriae plurimum debemus. Hic itaque Patre Gaspare Sormano viro praestantissimo (qui erat a Secretis Mediolanensis Senatus) matre vero Anna Cribella nobili foemina ortus est Mediolani anno MDCXXX. Bonarum artium et litterarum studiis in patria instructus, unice Deo famulari exoptans, dum e gravi morbo convaluit, saeculo valedixit. Quapropter Ordinem Minorum S. Francisci, quos observantes appellant, ingressus solemnem emisit professionem. Post emensum Philosophiae et Theologiae cursum in obeundis muniis Lectoris Generalis, Definitoris, S. Officii Consultoris, et in rerum agendarum dexteritate ita excelluit, ut frater Joseph Ximenez Samaniego Universi Ordinis Serafici Minister generalis suis litteris in Regali Conventu signatis, et jussu Summi Pontificis Innocentii XI a Sacra Congregatione de propaganda fide postridie calendas Decembris anno MDCLXXVII confirmatis, eum instituerit, et declaraverit Hetaeriarcham Coenobii S. Salvatoris, et Sacri Montis Sion, et totius terrae Sanctae Custodem (1).

Ea in gubernatione mirum est, quot sustinuerit incommoda apud Turcas unanimi immanitate novum jugum Christianae Republicae imponere molientes,

(1) Comment. MSS. ejusd. Petri Marini Sormani

quot pertulerit labores pro servandis locis pretiosissimo Redemptoris nostri sanguine conspersis, et quibus fuerit afflictus molestiis in praeficiendis Apostolicis viris, qui Ægypti sacras merent Missiones. Ast difficillimis hisce in negotiis tantum abfuit, ut rerum magnitudine perterreretur, quinimo ea se gessit moderatione, ut non modo sibi contigerit sacra aliqua redemptionis loca a Mahumedano contemptu ingeniosissime liberare, et Catholico cultui piissime restituere, sed animum Proregis Hierusalem, etsi in Christianis atrocis, et feri, ita affectum sibi devincere, ut propria manu epistolas scripserit ipse Turcarum Praeses ad Romanum Pontificem tunc Innocentium XI, quibus Petri Marini mores, ac regimen summis laudibus extolleret. Hoc idem officium praestitit apud Carolum II Hispaniarum Regem, qui summopere miratus est, etiam ab homine barbaro, et Mahumeticae Sectae labe infecto potuisse encomia in Coenobitam virum conscribi. Hoc est summum virtutis privilegium, hostes ipsos laudatores habere. Fortasse hac de causa, etsi nonnulli aliorum Ordinum viri Religiosi pia quadam aemulatione niterentur, plurimumque tunc agerent, ut unum aliquod ex Palestinae Sanctuariis incolendum obtinerent, instante Petro Marino, suprema lege ab Innocentio XI Pontifice Maximo (2) cautum fuit, ut sola Seraphica Religio Sanctissimi tutelam Sepulcri prossequeretur, caeterorumque sacrorum locorum, quae Christus suo sanguine irrigavit. Promeruit ille solus hanc gloriam, quae in perpetuum universi Ordinis decus redundabit (3).

Magna cum laude, et Christianorum, ac Seraphici Ordinis utilitate obito ad quinque fere annos Terrae Sanctae regimine, e finibus Asiae, sumptibus ipsius Proregis Hierusalem, in Europam trajicitur Petrus Marinus, ut ad Toletana Comitia perveniat, eligendi Ministri Generalis causa, in quibus invitus, et reluctans anno MDCLXXXII ad supremam universi Ordinis Praefecturam evehitur (4). Minister Generalis cum esset, totus statim in eo fuit, ut omnia ad sacrarum legum

(2) Ut constat ex Brev. Lit. ejusd. Pont. incip. *Exponi Nobis* etc. Romae, sign. die 30 Aprilis 1686.

(3) Commentar. MSS. Petri Marini.

(4) Legatur liber in lucem editus, et inscriptus: *Secoli Serafici, ovvero Compendio Cronologico della Storia Francescana*, ubi pag. 292 haec habentur: *Finalmente in Toledo l'anno 1682 sotto la Presidenza del Cardinale Arcivescovo Portocarrero, che assisteva con autorità apostolica, fu eletto Ministro Generale LXXXI il P. Pier Marino Sormani da Milano già Guardiano del Sagro Monte di Sion Custode e Commissario Apostolico di Terra Santa.* Pag. vero 295 haec adduntur: *Il Padre Generale Sormani diede l'abito del terz'Ordine ad Eleonora Duchessa di Lorena già Regina di Polonia, ed a Cosimo III Granduca di Toscana, come si legge in una lapide in Araceli nell'abitazione dei Ministri generali, dalla quale si hanno molte importanti notizie.*

praescripta reduceret, atque abusus, si qui alicubi irrepserant, extirparet. Ejus opera, et auctoritate studia theologica, et polemica potissimum promota sunt, optimi mores refloruerunt, et una vox omnium erat (ut memoriae tradiderunt ejus temporis Scriptores) ab ipso primum fuisse restitutum Religioni splendorem (5). Hic pariter est recensendum, quod petente et instante P. Marino Sormano totius Minorum Ordinis generali Ministro Innocentius XI suis solemnibus litteris incipientibus *Ungentis Dei Filii* Romae datis die XXVIII Januarii anno MDCLXXXVIII novas Indulgentias concesserit Crucibus et Coronis, quae tetigerunt loca Terrae Sanctae, abrogando, et irritas faciendo omnes indulgentias, quae ab aliis Pontificibus concessae dicebantur (6).

In suprema Ordinis Administratione tantam sibi, et Seraphicae Religioni benevolentiam conciliavit, ut, agnita singulari ejus prudentia, et summa in rebus peragendis dexteritate, merito inter tot Ecclesiae Proceres ab eodem Innocentio XI delectus fuerit ad pertractanda gravissima negotia cum Leopoldo I Augusto Romanorum Imperatore, aliisque Germaniae, Panoniaeque Principibus, nec non Veneta Republica. Qua in legatione, virtute duce et comite, dicendi vi ac lepore, cum se talem exhibuisset Petrus Marinus, qualem Ecclesiae Catholicae utilitas, et Apostolicae Sedis dignitas requirebant, ac praesertim ne unquam belli terminum cum Turcico Imperatore paciscerentur, nisi hac adjecta conditione, ut ad loca Terrae Sanctae liber Christianis peregrinantibus pateretur accessus. Romam rediens a Catholico Hispaniarum Rege Carolo II Episcopus Viglevani dictus est, atque ab ipso Innocentio anno MDCLXXXVIII quinto idus Octobris inauguratus (7) sacri honoris insignia accepit die XVII ejusdem mensis.

Commissi gregis studio ardens ad suam sponsam Ecclesiam venit, ut ei omni modo benefaceret, atque adeo eam dilexit, ut in ipso sui adventu, qui fuit die S. Thomae Apostoli (8) statim pretiosas suppellectiles dono acceptas a praecipuis Europae Principibus semper eum summa benevolentia prosecutis tamquam arrhas sponsae suae tradiderit, atque ab ea veluti Sponsus Zelotypus discedere, etsi brevi, vel ad animum recreandum, nunquam voluerit.

Vix in solium evectum Marinum Sormanum Viglevanenses aspexerunt, cum omnes sibi invicem gratulabantur, quod Episcopum omnium virtutum genere

(5) Ead. Comment. MSS.

(6) Lucius Ferraris in sua Biblioth. editione Genuens. Tom. IV, verb. *Indulgentiae* art. V, pag. 535.

(7) Ughell. Tom. IV, pag. 826, et Acta Romana.

(8) Archiv. Egreg. Not. Brambillae.

ornatissimum a Deo essent consecuti. Talis profecto is fuit, ut praeclara ejus gesta luculentissime enarrant. In pastorali officio omnes conatus eo intendit, ut divinus cultus augeretur, et Christiana Religio illibata floreret. Quare Apostolica visitatione universam recognovit Dioecesim annis MDCXC, MDCXCI, et quae emendatione indigerent, prudentia et aequitate correxit; opportuna munitus auctoritate plura Missarum Legata pro ratione redituum est moderatus (9): diutinas controversias ortas inter Sodalitium S. Dionysii, et ejus Parrochum diremit (10), ac ubique animarum salutem, religionis incrementum, et Ecclesiae decus promovit.

Ea occasione ritu ab Ecclesia praescripto benedixit anno MDCXCI in honorem Beatissimae Virginis Immaculatae Oratorium Villulae *Bucellae* in Suburbiis constructum a Comite Julio de Calchcranis Mediolani Senatore, atque eodem anno novam aediculam Rosarianam Villulae *Morsellae* pari benedictione decoravit, dirutum cum esset vetus S. Mariae de Populo Delubrum, quod Franciscus II Sfortia Mediolani Dux antiquitus frequentabat pro audiendo sacro, et petentibus ejus Sodalitatis Collegis, Dominica tertia Augusti anno MDCXCVIII primum lapidem perpulchri novi Templi ab Architecto Ruggerio delineati solemni ritu benedixit, adstantibus Capitulo, Clero, Sodalitio, et pluribus Civibus, eumque in fundamentis ad latus dexterum collocavit, etiam nomine Annae Elisabeth Lotharingiae Principis. Quod Templum ad perfecti decoris majestatem redactum fuit (11) et egregiis picturis illustratum. Postero anno, demolita pariter in Suburbiis Sanctissimae Virginis Mariae sub titulo septem Dolorum aedicula, (cujus Sodalibus ut indulgeret habitum violacei coloris cum aliis insignibus jam attribuerat) primum lapidem in substructionibus novae venustae Ecclesiae rite posuit; quae deinde anno MDCCXII completa fuit ad praesentem formam (12).

Hoc Pontifice annuente quinimo suadente, Canonicus Cantor Joannes Ferraria anno MDCXCIV erexit Bibliothecam, et Oratorium in honorem Divi Ignatii Lojolae, et ibi deinde testamentariis tabulis anno MDCCVIII bis geminum quotidianum sacrum legavit. Praeterea in Templo maximo conciones annuales et in Urbe sacras Missiones singulis decenniis habendas, aliaque pia instituta prudenter decrevit.

(9) Archiv. Capit.

(10) Archiv. Sodalit. S. Dion.

(11) Anno 1720.

(12) Traditio habitus violacei facta ab Episcopo Sormano illetis Sodalibus praebuit causam Regularibus hominibus Ordinis Servorum B. M. V. frustra excitandi controversiam de irrita concessione. Archiv. Caurell. Episcop. et Sodal. Sept. Dolor. B. M. V.

In defendenda ab erroribus religione solertissimus fuit Pastor Sormanus; et Spiritu Dei tamquam armatura indutus, quoddam zizanium ea aetate a Michaele Molinos Hispano simulata modestiae ac pietatis specie aliquibus Italiae Urbibus disseminatum a vinea Domini radicitus avulsit, et latentem sub ovina pelle lupum suas oves adire tentantem constantissime repulit, tum adversus novae Mystagogiae illusiones ex ambone magno doctrinae apparatu semel iterumque disserendo, tum absconditum sub nova orandi methodo haereticae doctrinae virus detegendo.

In administratione sacrorum ab assuetis Pontificalibus actionibus numquam abstinuit. Erat autem in iis expeditus, gravis, nulloque, aut tempestatis, aut laboris incommodo deterrebatur. Cum adibant plurimi ex aliena Dioecesi Clerici sacris initiandi, quos humaniter complectebatur, eorumque postulationibus rite satisfaciebat. Ob hanc ipsam facilitatem contigit, ut bona fide sacros Ordines etiam contulerit cuidam Clerico nobili Papiensi (cujus nomini parco) qui per fictam tenuis beneficii erectionem in nostra Dioecesi Sacram carpsit Ordinationem. Quae fraus (ut fertur) locum dedit celebri Innocentianae Constitutioni, quae incipit *Speculatores domus Israel*.

In Praesule Sormano erat singularis humanitas, et benignitas adeo ut ad suavitatem omnia temperaret. Hinc tanta de ejus benignitate, prudentia, caeterisque virtutibus omnium animis opinio insederat, ut insignes belligerantium Principum Administri, qui anno MDCXCVI Viglevanum convenerant pacis conciliandae gratia inter praecipua Europae Regna, eximiam in eum benevolentiam omni officiorum genere sint testati; quare die septima Octobris (non vero quinta, ut aliquis Scriptor perperam dixit) memorati Caduceatores in subterranea Beati Matthaei Carrerii aedicula sacro interfuerunt ab Episcopo Sormano celebrato: quo audito, in S. Petri Martyris Coenobio, eadem die aptatissimae pacis conventioni subscripsere (13). Viglevanensibus memorabilis semper erit faustissima haec dies.

(13) Ad sanciendam inter Germanos, Hispanos, et Sabaudos pacem concordi animo Urbs Viglevani fuit delecta. Hoc in coetu legatione pro Caesare Leopoldo I fungebantur Comes Henricus Mansfeldius, pro Hispaniarum Rege Carolo II Marchio Fidicus de Leganis; agebat vero pro Sabaudiae Duce Victorio Amedeo II Victorius Carronus Marchio a S. Thoma. Pactum est in hoc Viglevanensi Conventu, ut exercitus Caesaris, et Gallorum, caeteraeque auxiliares turmae extra Italiam pedem efferrent, insuper pacis obsides Victorio Amedeo Sabaudiae Duci darentur, atque ab Italiae Principibus trecentum mille nummi aurei Germanis persolverentur. Optatissima hac pactione Galli, quibus nomine Christianissimi Regis Ludovici XIV praeerat Marescallus de Catinat, Italia cessere. Caesarei autem

Ad habendos idoneos Ecclesiae Ministros satis consultum esse putabat Antistes Sormanus, si Clerici pietate, ac litteris, qua fieri posset maxima diligentia, in Seminario excolerentur. In id curam et operam contulit omnem. Quod erat ad Concilii Tridentini leges excitatum jam olim Seminarium, vel ob aedium angustias, vel ob annui proventus tenuitatem paucos ferebat Alumnos, qui suis domibus convivebant. De illo itaque condendo consilium coepit, quod etsi magnis difficultatibus consitum videret, strenue tamen rem est aggressus. Commodiorem igitur, atque ampliorem locum prope Viridarium Episcopale, ubi alias commorabantur Moniales S. Clarae, suo aere comparavit, in eoque funditus Clericorum Seminarium in totius Dioecesis utilitatem, et Urbis ornamentum construxit, eique novam sub titulo Sanctae Annae adjecit Ecclesiam, quam quotidiano Missae Sacrificio, et sacra supellectili ornavit.

Tenues porro, angustique cum essent Seminarii census olim a Francisco II Sfortia Mediolani Duce assignati, necnon alii ab Episcopis Mauritio Petra, Gabriele Adarzo, et Joanne Caramuele eidem attributi, quibus Clerici Collegiali modo vivere non valerent, novos addidit proventus in perpetuum, ut auctis subinde censibus Collegialiter sustentari, educarique in eo possent alii Alumni (14). Quo autem adolescentes recte viverent, certas iisdem leges praescripsit ad optimam morum, studiorumque rationem. Sed cum initias, progressionesque virtutum a prima educatione maxime pendere intelligeret, et potissimum agnosceret, Clericos Regulares praeclarae Congregationis de Somascha (inter quos germanum fratrem ipse habebat) plurimum excellere in probe instituenda juventute, eos Viglevanum rite advocavit, eisque censibus assignatis (15) Seminarii

copiae, quae pro Pedemontanis, et Insubribus tuendis, immenso vacabant censu, Germaniae repetiere. De hac concordia fusius agunt Dumont Corps Universel Diplomatique, Tom. VII, Partie II, pag. 375, Comes Ottieri Istoria delle guerre, Tom. I, Lib. II, pag. 55, et Muratorius Annal. Ital. ad an. 1696. Insignis vero Bodonius Salutiensis Regiae Parmensi Typographiae Praefectus, qui in celebritate connubii Caroli Emmanuelis Subalpinum Galliae Principis cum Clotilda Adelaide Ludovici XVI Francorum Regis sorore novo artis typographicae molimine urbes Deiparae Urbes magnifice descripsit, in exponenda Viglevani pace imagines hoc modo distribuit. Germania, Hispania, Sabaudia suis insignibus distinctae regali in aula colloquuntur, manusque ad Aras auditas mutuae fidem sibi respondent. Interius historia testis temporum, et nuntia veritatis in Laterculo, quod Urbs veritate suffulcit, acta stylo exarat, ac posteritas Conventorum sit immemor, dum genius pacis arma et quidquid bellicum est intecta, face comburit.

(14) MSS. Archiv. Seminarii.

(15) Inter alios census C. R. Somaschensibus assignavit reditus, qui percipiantur ex antiquo jure piscationis in Ticini flumine. Quomodo autem ad Episcopum Sormanum hujusmodi redditus pervenerint, non abs re erit referre. Civitas enim Vigle-

regimen, et curam tradidit, certis quibusdam conditionibus, et legibus in publicis tabulis expressis (16) Clericos Regulares Somaschenses, ut aptissimos grammaticae, et humaniorum litterorum Professores jampridem Viglevanum invexerat anno MDCXV vigilantissimus Episcopus Ven. Petrus Georgius Odescalcus; at de nullis opibus provisos calamitas temporum vix receptos invite dimisit

Seminario sic constituto (17) ad alia non minoris momenti animum convertit beneficentissimus Sormanus ad sui gregis commodum, novaque in dies, et ampliora beneficia excogitabat, quasi inconstantem putaret amorem, qui non accipit incrementa. Quapropter suis expensis quinque Sacerdotes Templi majoris servitio optimis legibus perpetuo adjecit, quibus praeter quotidianum sacrum, aliaque munia, Poenitentiae Sacramentum administrare quotidie incumbit quo uno, eodemque beneficio non modo viros Ecclesiasticos, sed cives etiam omnes demeruit. Pro servanda innocentia optimus Antistes Seminarium erexit, pro ea restituenda Sacerdotes, qui in Ecclesia Cathedrali fidelium Confessiones exciperent, continuo assignavit. Ut autem in Templo Maximo Sacrae actiones majori decentia, majestateque fierent, annua constituit stipendia musicis, qui, gravi modulamine ad pietatem augendam ordinato, omnes deducerent ad rerum divinarum contemplationem

Munificentissimus Sormanus dum totus est in decoranda Ecclesia sua sponsa, non obliviscitur Matris suae, idest Religionis Seraphicae, a cujus institutis in illa Sacrorum administratione nihil unquam recessit; servabat enim Ordinis jejunia, et Franciscanam in victu, vestituque simplicitatem, atque omnem rhedae, seu vehiculi usum, quaecumque saeviret aeris intemperies, se Apostolorum more abdicavit, ut hoc parsimoniae studio suae consuleret Ecclesiae. In Templo itaque

venosis bellis, obsidionibus, aliisque tristissimis casibus jam prope parvulum, et ejus temporis calamitatibus consuleret, eosque infelices sublevaret cives, consente, atque approbante Carolo II Hispaniarum Rege, publico contractu, solemnibusque tabulis vendidit, et rite ab alienavit anno 1692 die 7 Martii omnia jura et facultates, quae ad eam in suo territorio antiquitus spectabant, aqq... scilicet piscis in Ticini flumine. Haec autem jura, et facultates pretio quindecim millium librarum imperialium consociate asperitas anno, et die, aequalia a Civitate Episcopus Sormanus pro Seminarii institutione

(16) Pacta et conditiones in publicis tabulis conventae inter Episcopum Marinum Sormanum, et Clericos Regulares Congregationis Somaschae pro Seminarii Viglevanensis regimine, et administratione alio confirmavit Innocentius XII P. M. suo diplomate incipiente: *Commissae Nobis divinitus Dispensationis* Romae dato die XVII Augusti MDCXCV Archiv Seminar. pag. 34

(17) Pro Seminarii Viglevanensis institutione Carolus II Hispaniarum Rex Praesuli Sormano concessit privilegia, et constat ex Rescripto signato die prima Octobris 1690, Archiv. Semin

S. Mariae Gratiarum sui Ordinis excitavit, ornavitque Sacellum Virgini Immaculatae dicatum, ibi quotidianum Sacrum cum duobus anniversariis legavit, conciones annuales singulis festis diebus habendas a Pentecoste usque ad Festum Stigmatum S. Francisci cum expositione Sanctissimi Sacramenti instituit, et in suos Religiosos propensissimus extitit.

Praeclaris hisce operibus addendi praeterea sunt egregii sumptus tum in novarum aedium accessione, et funditus conficienda Episcopalis Palatii facie, tum in condendis, et reparandis extra Urbem aedibus ad rem agrariam pertinentibus. Paternas curas pariter extendit ad custodiendas Sacras Virgines Carmelitas in Vico Sancti Martini tum degentes, atque imminentibus excursionibus hostium aliisque periculis obnoxias. Ut igitur gravi, praesentique exterritarum Monialium discrimini consuleret eas die xx Septembris anno MDCXCVI in Monasterium S. Mariae Assumptae traduxit, ubi per quam humanissime acceptae usque ad exitum Octobris hospitatae sunt (18). Pace deinde Viglevani inter Principes composita ad suum Coenobium sunt reversae, et postmodum anno MDCCI die xi Septembris habita prius in Ecclesia Cathedrali a benefico Episcopo benedictione, solemniter sunt translatae in novum Monasterium eleganti forma piorum hominum stipe constructum (19), in quo S. Theresiae institutis exactissime parentes, non modo hujus Civitatis, sed finitimarum etiam regionum venerationem sibi compararunt.

Tandem cum rem sacram maxima pietatis laude annos quatuordecim administrasset Antistes Sormanus, continuis perfunctus laboribus extremo morbo correptus est, atque Ecclesiae Sacramentis rite susceptis post opere, et opes, vitam quoque inter suorum preces, et lacrymas Deo reddidit anno MDCCII die Sanctae Clarae sacra annos natus septuaginta duos, alte infixum Viglevanensium animis relinquens sui desiderium, ac numquam interituram memoriam. Ejus cor delatum fuit ad Ecclesiam sui Ordinis, corpus vero post justa, ut Pontificem decet, persoluta ab Hortensio Vicecomite Laudae Pompejae Episcopo funeratum fuit in Sacello S. Caroli Ecclesiae Cathedralis.

Parentalibus celebratis, Canonici electores, prout eorum officium erat, rite die XVIII Augusti convenerunt, et Vicarium Capitularem habuerunt Canonicum

(18) Archiv. Monial. S. M. Assumptae. (19) Archiv. Monial. S. Theresae. *

* Anno 18[illegible] pulsis Monialibus Monasterium postea Orphanotrophii liberis exceptis. Edit.

Ecclesiae Cathedralis Bernardinum Cattaneum Viglevanensem, qui fuit deinde sequentis Episcopi Vicarius generalis, et Templi maximi Archipresbyter.

Volentes autem memorati Canonici, ut nullo obliteretur aevo memoria tanti Episcopi, ad ejus tumulum posuerunt monumentum marmoreum sequenti epigraphe inscriptum:

PETRUS MARINUS SORMANUS

MEDIOLANEN.

COENOBITA MINOR. OBSERVANT.

S. SEPULCRI INFULATUS CUSTOS

CATHOLICO CULTUI

REDEMPTA A TURCARUM CONTEMPTU

SACRA ALIQUA REDEMPTIONIS LOCA

SUI ORDINIS GENERALIS MINISTER

SIBI ET SERAPHICAE RELIGIONI

SUMMI PONTIFICIS IMPERATORIS REGUM

BENEVOLENTIAM ET PATROCINIUM

VIGLEVANEN. EPISCOPUS

SEMINARIO NOVAS AEDES ET CENSUM

TEMPLI M. CHORO QUINQ. SACERDOTIA

ARIS SACRAM SUPELLECTILEM

ADJUNXIT

POST OPERA ET OPES

VITAM QUOQ. DEO REDDIDIT

PRIDIE ID. SEXTIL. ANNO SAL. MDCCII

AET. SUAE LXXII EPISCOPATUS XIV

Pari modo Seminarii Curatores Pontifici optime merito tabulam marmoream sub gentilitio ejus stemmate posuerunt cum hac inscriptione

D. O. M.

FR. PETRUS MARINUS SORMANUS

DE GUBERNIO APPLICO TOTIUS TERRAE SANCTAE

AD GENERALATUM UNIVERSI ORDINIS SERAPHICI

TOLETI IN HISPANIA ASSUPT UT CONFIRMAT.

A SANCT.MO D. D. INNOCENTIO XI.

AB EODE AD CAESARE. ALIOSQ. PNPES GERMANIAE

UT PANNONIAE LEGATUS MITTITUR

A QUIBUS HONORIFICE EXCEPTUS ET DIMISS.

ROMAM REDIENS A CAROLO II REGE CATH.CO

IN EPUM VIGLEVANI NOMINATUR

UBI ADHUC VIVENS ECCLIAM CATHEDLEM

PRETIOSIS DONIS LOCUPLETAVIT

AERE PROPRIO FUNDITUS SEMINARIUM EREXIT

EJUSQUE ECCLIAM ORNAVIT ET LEGAVIT

MISSA QUOTIDIANA ALIO ADJUNCTO FUNDO

ETIAM PRO MANUTENDIS SEX ALUMNIS

TANDEM AD REGIMEN TAM SPIRITUALE

QUAM TEMPORALE IPSIUSMET SEMINARII

AB EODEM SUNT VOCATI RR. PP. SOMASCHENSES

UT APPARET IN APPLICO BREVE INNOC. XII

ROMAE DAT. XIII. AUG. MDCXCV.

QUOD INCIPIT COMMISSAE NOBIS

CAPUT XXI.

DE HIERONYMO ARCHINTO

DECIMO OCTAVO VIGLEVANI EPISCOPO

Mediolani, et alibi Archintorum nomen tum generis splendore, tum virorum virtute, dignitateque praecellentium celebritate tam clarum est, ut inutile prorsus antiquissimum decus recensere videatur (1). Hieronymus itaque Archintus, de quo agitur, patre Horatio Comite de Baratis, matreque Catharina Fossani nobili ejus conjuge (2) natus est Mediolani anno MDCXLVIII; Hieronymo frater erat natu major Comes Alexander Archintus ex LX Urbis Mediolanensis Decurionibus celebris militarium Praefectus, qui anno MDCXC in obsidione Insularum *Lilla* apud Belgas eximiam sibi demeruit gloriam (3).

Adolescens liberalibus studiis feliciter absolutis, Legalibus disciplinis vacavit, Laureaq. insignitus, ac Patritio Jurisconsultorum Collegio adscriptus in Basilica Maxima Primicerii dignitate evectus fuit, cumq. sapienter prudenterque se in omnibus gessisset a Catholico Hispaniarum Rege Philippo V meritorum aestimatore Mediolani tunc commorante ad Viglevanensem Ecclesiam regendam nuncupatus fuit sub finem mensis Octobris anno MDCCII. Quamobrem Romam est profectus, et die decima octava Martii, idest Dominica *Laetare* sequentis anni a Clemente XI Summo Sacerdotio initiatus, ac domesticus Praesul et Solii Pontificii assistens renunciatus, in Episcopalem Sedem tertio nonas Aprilis inductus fuit.

(1) Quam illustris sit Archintea familia apud fere omnes rerum Mediolanensium Scriptores comperiuntur est. Vide Crescentium in *Anphit. famil. Mediol.* pag. 1, Morigiam, *hist. nobil. Ant. Med.* L. II, cap. 4, 9, et 12 Puricellum in *famil. Arch.*, Ripamontium, et Jacobum Peregum etc.

(2) Acta Romana

(3) Stemma Genealogicum nobis communicatum

Ad Viglevanensem Ecclesiam cum se contulisset novus Antistes, Apostolicam Visitationem in primis non modo utilem, sed necessariam esse existimans, illam statim et indixit, et incoepit, et incoeptam vigilantissime perfecit. Etenim Dominica secunda Julii anno MDCCIV praehabita generali supplicatione Missam Pontificali caeremonia celebravit in aede maxima, ipsamque accurate lustravit, et pia Legata, eorumque originem erudite cognovit (4), reliquam vero Dioecesim non minori sedulitate, et diligentia deinde invisit: sed cum in suscepta vineae procuratione multa sibi juxta Prophetae monitum evellenda, ac destruenda, plura quoque plantanda, atque aedificanda cognoverit, accitis nonnullis insignibus Evangelii praeconibus, primam solemnem suis sumptibus indixit Missionem, cui initium datum fuit Nonis Maji anno MDCCV. Ut cuique esset conveniendi locus ad sacras conciones, vasta S. Mariae Gratiarum platea delecta fuit, singulis sacris Missionis actionibus non modo adfuit semper Praesul zelantissimus una cum suo Capitulo, reliquoque Clero, verum etiam habitu atrato poenitentiae notas praetulit praesertim tribus poenitentialibus supplicationibus, quas ad primam noctis horam flebili concentu frequentissimus populus poenitentiae instrumenta deferens habuit per Urbem innumeris luminaribus illustratam, et pullis pannis ad fenestras appensis ornatam: eoque tempore viae et compita commotionis gemitibus insonabant; quod vere poenitentiae et pietatis triumphum exhibuit. Tanta autem divini Spiritus unctione Evangelicam praedicationem exercuerunt Apostolici Viri, ut finitimorum Oppidorum Clerus, et praecipue utrumque Canonicorum Collegium Gambolati, Sodalitates, et populi ad percipiendam ex eorum ore salutis scientiam certatim confluxerint. Constat plures scelestos homines assiduis illorum concionibus permotos a semita iniquitatis ad viam salutis revocatos fuisse. Accedit quoque, mirabile dictu, quod neque bellorum tumultus, neque hostium incursiones, quae ea praesertim tempore imminebant, a frequentia eos deterrere valuerint.

Memorandum hoc loco est singulare prodigium, quod sedente hoc Pontifice contigisse tradiderunt oculati testes, et graves auctores memoriae prodiderunt (5). Innumerae locustae ex Ticini valle subortae annis MDCCVI, et MDCCVII agros et vineta infestare, et quidquid in arvis erat trans alveum dictum *La Mora* vocare coeperant. Consequenti vero anno adeo se propagarunt, ut dictum alveum transvolantes non

(4) Acta Cancell. Episcop. (5) MSS. Bibliot. S. Ignatii

modo segetes, fructusque omnes Viglevanensium agrorum consumerent, vastarent, verum etiam plantas corroderent, easque frondibus et cortice spoliarent. Impendentem calamitatem, ut a concredito Grege averteret vigil Pastor, offensum, irritatumque Deum in primis propitium reddi, et existimavit, et maxima charitate curavit. Idcirco initio mensis Maji anno MDCCVII publicae poenitentiae indixit supplicationem a suae Sedis Templo usque ad S. Mariae Misericordiarum Ecclesiam extra Urbem, cui, et ipse, universusque Clerus, ac populus interfuit, et post sacra rite celebrata in dicta Ecclesia S. Mariae Misericordiarum, quotquot supplici interant actioni ad proximum dicti alvei pontem sunt progressi, ibique flexis genibus, implorato Dei Omnipotentis praesidio, collataque a Pontifice Archinto benedictione dictu profecto, visuque mirum! Locustae, mirantibus cunctis, qui aderant, statim se contrahere visae sunt, et quasi agmina ab hoste perculsa, ac perturbata, in alveum praecipiti jactu se immerserunt, liberosque campos reliquerunt. Quae omnia non sine admiratione et lacrymis Viglevanenses animadvertentes insigne beneficium meritis B. Mariae Virginis Misericordiarum acceptum retulerunt, et ad Civitatem reversi, sicuti populus Israel, qui vidit Ægyptios submersos in mari rubro, cecinerunt Domino canticum exultationis, aliisque deinde precibus gratias Deo bonorum omnium Largitori egerunt. Illo autem anno licet maximus sterilitatis timor invaserit, magna tamen frugum copia praeter omnium expectationem est subsecuta.

Viglevanensem dum moderaretur Ecclesiam Praesul Archintus, dominatus Provinciae Laumellinae, ubi sita sunt praedia Episcopatus et Regii Capituli, concessa fuit invictissimo, et celeberrimo Principi Victorio Amedeo Sabaudiae Duci, Siciliae primum, Sardiniae deinde Regi Augusto. Qua de re anno MDCCVII mense Majo a nostro Episcopo, et a Canonicorum Collegio unanimiter delecti fuerunt Decanus Ampius, et Canonicus A Cruce, ut novum Principem adeuntes debita fidei et obsequii tributa obtestarentur (1).

Verum cum Ecclesiasticam disciplinam promovere studeret, eidemque plurimum conferre arbitraretur si Clericales Congregationes instituerentur, annuit nonnullorum Saecularium Sacerdotum precibus petentium, ut novus eorum coetus institutus ad fovendam proximi dilectionem, ad expiandas animas in Purgatorio detentas, et ad alia pia opera exercenda in veram Congregationem sub Divi Caroli Borromei nomine, et protectione erigeretur; et per publicas tabulas

(1) Archiv. Capitul.

firmatas idibus Maji anno MDCCX dictum pium coetum in legitimam Congregationem transmutavit, et ut propensissimum in eam animum exprimeret non modo opportunis regulis novam Congregationem communire, suaque auctoritate firmare voluit, verum etiam recentem et optima manu expressam iconem Sancti Caroli, quem sibi Patronum delegerat, summeque in honore semper habuerat, eidem munifice donavit (7), ac spectabiles ejusdem Sancti reliquias in magnifica argentea theca repositas Ecclesiae suae Cathedrali pariter fuit muneratus, suaeque liberalitatis in Moniales Carmelitas S. Theresiae varia atque amplissima praebuit argumenta (8); ac in omnium Ordinum Sanctimoniales vigilantissimum moderatorem se praebuit non modo in iis, quae spiritum, verum etiam, quae dotem spectant, ita ut omni fictione amota dotales eleemosinae solvi debeant omnino (9).

Si in promovendo Dei cultu, atque in procuranda gregis salute admodum excelluit Pastoralis sollicitudo Antistitis Archinti, in sublevandis pauperibus enituit itidem ejus charitas, praecipue anno MDCCIX. Cum enim a nonis Januarii usque ad subsequens Pascha tanta fuerit frigoris vis, ut super flumina solido gelu concreta currus, et sarcinae libere trajicerentur, ac plantae etiam pergrandes ob summum frigus aruerint, pauperes sibi victum comparare non poterant, et prae inopia languebant, ea occasione, charitatis suae fuit, egenas familias pluribus subsidiis opitulari, cui pecuniam, cui cibaria, cui vestes et pannos, cui omnia ad vitam sustentandam paterna munificentia subministrare. Erga infelices homines in carcere detentos suam etiam extendit commiserationem, earumque salutis anxius maxime fuit, atque ut ipsis magis ac magis prodesset, Sodalibus S. Dyonisii, qui prae eorum charitate officium jam sibi assumpserant reos condemnatos consolari, pieque, dum ad mortem ducuntur, comitari, plura concessit privilegia, illudque praesertim eleemosinas passim pro eis quaeritandi (10).

Viglevanensis Ecclesiae regimen cum fere octo annis sustinuisset Optimus Praesul brevi morbo corripitur, et Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis refectus, atque in summam perennis felicitatis spem evectus annum suae a Domino peregrinationis sexagesimum secundum cum immortali vita commutavit lucescente die XXII Octobris anno MDCCX. Illius corpus post exequias Pontificias de more Ecclesiae per-

(7) Archiv. Congr. S. Caroli

(8) Archiv. Monial. S. Theres.

(9) Ut patet ex ejus edicto evulgato die 8 Martii anno 1708.

(10) Archiv. Sodalit. S. Dyonis.

solutas a Joanne Baptista Vicecomite Episcopo Novariensi sepultum fuit in Sacello S. Caroli Ecclesiae Cathedralis, ubi ejus monumento adjectum fuit hoc Epitaphium

HIERONIMUS ARCHINTUS

MEDIOLANENSIS

ORDINIS PATRITII I. CC.

EX PRIMICERIO

TEMPLI MAX. MEDIOLANEN.

A CATHOL. MAJESTATE

VIGLEBII EPISC. ELECTUS

ANNOS FERE VIII

HUJUS ECCLES. REGIMINI

IMPENDIT

OBIIT OPTIMUS PRAESUL

XI KALEND. NOV

ANNO MDCCX.

AETATIS SUAE LXII.

Ad eligendum Vicarium Capitularem Canonici de more convenerunt sexto Calendas Novembris, et unanimiter munus detulerunt Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis Bernardino Cattaneo Viglevanensi, qui cum variis valetudinis molestiis afficeretur, et tantae se amplitudini imparem ex animo diceret, postridie muneri sponte et formaliter renunciavit, atque in ejus locum suffectus fuit eodem die Praepositus Cathedralis Petrus Georgius Fusi pariter Viglevanensis, qui dein fuit sequentis Episcopi Vicarius Generalis.

CAPUT XXII.

DE GEORGIO CATTANEO

DECIMO NONO VIGLEVANI EPISCOPO

Joannes Cattaneus Baro de Mandelberg Aulicus, provinciarum superioris Austriae Consiliarius, atque Anna Maria Crotta nobiles coniuges Mediolanenses Georgii nostri nunc laudandi parentes fuerunt (1). Hic itaque die 24 Martii anno aerae Christianae 1661 Mediolani in lucem editus est, atque liberalibus disciplinis probe instructus claruit Juris utriusque Doctor, ac Theologiae Magister. Verum cum studio salutis animarum arderet, nomen dedit primum Oblatorum Congregationi Ss Ambrosii et Caroli, ibique doctrina, prudentia, morumque probitate emicuit: dein inter Canonicos Ecclesiae Metropolitanae, quos vocant ordinarios, anno 1695 cooptatus, pluribusque muneribus ad animarum salutem spectantibus summa cum laude perfunctus (2), tandem Caroli VI Romanorum Imperatoris suffragatione Episcopus deligitur Viglevanensis ineunte anno 1712 dieque 3 Aprilis, nempe Dominica in Albis Romae de more initiatus a Clemente XI Pontifice Maximo inter Domesticos Praesules, eosque qui solio adstant Pontificio, recensetur.

Itaque per procuratorem adeptis jampridem sui Episcopatus juribus Viglevanum contendit. Interim, die scilicet 10 Augusti anno 1713 ex hac vita decesserat Joannes Baptista Vicecomes Novariensis Antistes; qua de re Novariam

(1) Argelati, Tom II, p. 11 colum. 1750.

(2) Fuit Examinator Synodalis, convisitator Archiepiscopalis Sanctimonialium in Dioecesi existentium Vicarius, nec non Congregationum Ecclesiasticae Disciplinae sacrorumque rituum et Seminarii Mediolanensis Praefectus.

se contulit, ut ipsi justa solemniter persolveret [3]. Ad Ecclesiam reversus suam multa decernere, atque edicere aggressus est, quae optimam morum disciplinam spectarent, emendationemque vitiorum. Audierat enim Pastor Cattaneus gregem suum uberrimos aeternae salutis retulisse fructus ex sacra Missione, quae acta primatim fuit in hac Civitate sub Episcopo Archinto Quapropter omnem in id intendit operam ut viros Apostalicos ab exteris revocaret regionibus, qui sacras inirent missiones [4]. Tanta autem populi multitudo ad eos confluebat audiendos, ut necesse fuerit sacris praesertim diebus in foro maximo, quamvis hiemaret, suggesta erigere; arctum enim nimis, angustumque videbatur Templum majus. Hinc consuetudines pravae de medio sublatae, piae vero, vel inductae, vel confirmatae, inter quas illam referendam duco, qua selectae ex variis Urbis partibus puerorum catervae, salutiferae Redemptionis nostrae cantillantes carmina, suppliciter procedebant ad adorationem Crucis, quae collatis subsidiis erecta tunc fuit marmoream super columnam in foro Paroeciae S. Dionysii· id suadente Josepho Maria a Clusio Ordinis Cappuccinorum verbi Dei praeconi clarissimo, qui anno 1715 in hoc sacrae Missionis exercitio ad triginta quinque die ardenti studio atque uberi fructu perduravit· quo tempore a Civitatis primoribus impetravit, ut quotidie ad vigesimam primam horam e turri maxima aeris campani signum daretur triplex exorandi pro iis, qui mortis agone conflictantur. Hoc tamen praeclarum Christianae devotionis officium non modo usque adhuc perseverat, verum etiam morem induxit idipsum peragendi quotiescumque fidelium aliquis in tanto vitae periculo versatur.

Hisce autem feliciter institutis sibi non acquievit vigilantissimus Antistes, aliaque voluit ratione cujuslibet personarum coetus aeternae saluti prospicere Atque in primis Auctor ipse fuit, ut Ecclesiastici viri quotannis fere praefinito tempore in aedes Episcopales convenirent; ibique, cunctis summa humanitate exceptis, ad octo vel decem dies sacris addicti lectionibus, atque in aeternarum divinarumque rerum meditationibus defixi penitus, quas utplurimum servus Dei Benedictus Jacobini Varallensis Praepositus dictabat, vel Oblati Mediolanensis Congregationis viri ad id genus muneris accomodatissimi, animum mentemque excolerent, contractas e mundano pulvere labes abluerent, perfectioremque vitae

(3) Liber Mortuor. Ecclesiae Cathedral. Novarien.

(4) Ecclesiam Vigleranensem sagente Episcopo Cattaneo, tres sacrae Missionum habitae fuerunt, nimirum annis 1715, 1720, 1730 Sic Manusc. Codex Bibliot S. Ignatii, ubi fere omnia, quae de hoc Antistite narrantur, deprompta fuere

disciplinam renovarent impensius. Quo tempore Sacerdotes omnes una cum piarum exercitationum Magistris, et Episcopo communi assidebant mensae, quae sacra lectione condiebatur, ut non solum corpus sed animus etiam reficeretur quaeque vere ad usum vitae necessaria forent ab ipsius Praesulis liberalitate decentissime suppeditabantur.

Sacerdotibus plerunque in hujusmodi exercitationibus succedebant laici, qui divino lumine collustrati aeternarum rerum cogitationi operam dantes anteactae vitae sordes salutari exomologesi expiabant, et veterem hominem expoliantes cum actibus suis induebant novum, tantusque fiebat concurrentium numerus, ut amplitudo Aulae Episcopalis Palatii eos capere non posset, ideoque suggestum transferre oportuit Aulam inter et procaetonem.

Jamvero cum Praesul optimus satis probe nosset disciplinam morum decursu temporis ab humano corde vel facile dilabi posse, sacris iterum commentationibus per tres, quandoque per octo dies infra annum populum detinebat, cumque ad meliorem revocabat frugem. His autem omnibus, quae in Cathedrali Templo instituebantur, non modo ipse aderat semper, exemploque suo civium animos ad pietatem incendebat, sed iis etiam, licet essent frequentissimi, Angelicum praebebat panem: quae omnia non mediocri ejus aere conficiebantur.

Inter haec non minus paternae sollicitudinis applicuit, ut foeminae hujusmodi spiritalis beneficii participes quoque fierent. Ter enim ipsae, Ecclesiam hanc gubernante Cattaneo, separatim a viris, in templo scilicet S. Francisci, et S. Mariae de Populo pias obiere exercitationes, moderatoribus ad id optime comparatis. Ad sacras virgines quod attinet, dilectam sui gregis portionem, nihil magis ipse in votis habuit, quam ut eae in proposito permanentes pie sancteque vitam degerent. Quamobrem spectatae virtutis, et scientiae viros iis praeficiebat, qui ad progressum in virtutibus singulis annis, disciplinaeque tutelam, ac mutuae demum concordiae, et charitatis augmentum divinis incitarent exercitationibus: hac optima opportunitate Gambolatii Oppidum petiit, ibique anno 1726 sacram decrevit clausuram a S. Clarae Monialibus saepius expetitam [8].

Hac ratione, cum ordinis cujuslibet Cives e vitiis ad virtutem deduceret, Dioecesi non defuit pariter: nedum Adventus enim, et Quadragesimae tempore, sed alias saepe, quo opus esset, apostolicos mittebat homines, qui divinae legis prae-

(8) Archiv. Mon. S. Clarae Gambolatii.

cepta explicare, jacentesque animas in flagitiorum coeno divini verbi virtute erigere, atque ad sanitatem reducere impigre admodum contendebant. Zelum salutis animarum, caeterasque Cattanei virtutes ea sustentabat animi firmitas, atque constantia, qua nihil faciens labores, expensas nihili, Ecclesiae leges tutatus est, illiusque jura servare vigil studuit. Etenim ita se gessit apud Mediolani Gubernatorem, ut quemdam hominem ab Ecclesia S. Petri Martyris per vim eductum Ecclesiasticae immunitatis vindex a morte liberaverit.

Dum vero munificentissimus Antistes nullis parcit incommodis, sumptibusque, ut vel populus sibi commissus in viam Domini dirigatur, vel in iis qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiastica disciplina sarta tecta servetur; erat ipsi plurimum cordi decor domus Dei, et ornamentum: idcirco adhortatus est quam maxime Cives, impulitque officiis omnibus ad fabricationem vere nobilis, magnificique tholi, qui juxta typum pro complemento Templi maximi desiderabatur. Hoc opus praecellentis Architecturae jam ab anno 1708 coeptum a Viglevanensibus haud modico sumptu sub auspiciis hujus Episcopi fuit absolutum. Diruto enim veteri laqueari fornicis locum tenente, quod lucem impediebat nimium, imposita fuit concameratio, adjectisque luminibus, corona, ac venustis ex Albario anaglyphis major lucis quantitas, et elegantia major universae Basilicae mirum in modum conciliata fuit. Sub idem tempus, demolitis Cattaneus aedium suarum scalis ex latere jam exaeso, novas et magnificas ab imis fundamentis opere marmoreo extrui, auratisque clathris, suo interjecto stemmate, exornari curavit. Quo aedificio tam necessitati, quam praestantiae, et dignitati Episcopalis Palatii consuluit egregie.

Sacerdotibus Congregationis S. Caroli nuper institutae, ut novam aedificarent Ecclesiam, indulsit Cattaneus, cumque postea abesset, ex ipsius mandato Archipresbyter Silva Provicarius solemni ritu primum benedixit lapidem die S. Bartholomei anno MDCCXXIV, illumque Ignatius Revertar Praetor magnificus posuit in substructionibus, tubis, tympanisque personantibus in Consulum praesentia, populique concursu frequentissimo (a).

Cum inter alias virtutes ab Apostolo in Episcopis requisitas animi liberalitate, et hospitalitate excelleret Cattaneus, et multa ex patre bona haberet, patebant idcirco Palatii Episcopalis fores advenis, atque hospitibus cunctis, quos ipse omni humanitatis officio complectebatur; inter eos recensendus est praecipue Comes

(a) Archiv. Congreg. S. Caroli.

Colloredus, insignis moderationis eques, et supremus totius Insubriae Gubernator, qui una cum variis Proceribus Germanicis, et Mediolanensibus in aedibus Episcopalibus nonnullis diebus est diversatus, et non sine animi sui voluptate agros et silvas Viglevanenses assiduis venationibus cum nobili comitatu peragravit.

Ecclesiasticum coetum mirifice coluit Episcopus Cattaneus, erga religiosos Ordines benevolentia ferebatur singulari, in divinis functionibus obeundis, et in Pontificatu gerendo dignitatis nobilitatem summo cum decore sustinuit. Quamvis autem tanto studio in rem sacram incumberet, nullum tamen praetermisit officii genus, quod ad urbanitatis, animique significationem aliqua ratione spectaret; nihil enim ardebat magis, quam omnium gratiam ac voluntatem. Qua de re non eos modo, qui bono in se animo essent, complectebatur, sed eos item, quos malevolo, infensoque esse intelligebat. Caeterum quanti eum facerent, et quam praeclaram opinionem de ipso haberent copiarum Duces, militiaeque Germanicae Praefecti luculentissimis significationibus testati sunt. Saepe enim numero ad eum conveniebant, ejusque humanitate, atque animi suavitate delectabantur. qua data occasione sermones, interjectis salibus, ac venustate jocorum, ita condiebat, ut adstantes illius colloquio recrearentur. His omnibus tamen summam gravitatem ac modestiam, morumque integritatem, ut Pontifici par erat, semper conjunxit; tantamque aestimationem apud militiam, universamque Austriacam nationem est adeptus, ut inter tot Insubriae Episcopos ipse solus, etsi aetate provectus, delectus fuerit ad sacra solemnia celebranda in honorem S. Joannis Nepomuceni Martyris nuper a Summo Pontifice Benedicto XIII in Sanctorum fastis adscripti. Sacra autem ceremonia Pontificio ritu, solemnique pompa, atque inusitato apparatu habita fuit Mediolani ab Episcopo Cattaneo anno MDCCXXIX in magnifico templo S. Fidelis, ministrantibus ad aram Canonicis duntaxat Viglevanensibus, et adstante omnium ex nobilitate Ordinum multitudine.

Duo de viginti annis Viglevanensem Ecclesiam jamjam administraverat Pastor Cattaneus, in eaque commissi populi salutem verbo, exemplo, apostolica visitatione, assiduisque studiis procuraverat, et dum majora in illius bonum animo evolvit, post sacra solemni ritu peracta in omnium Sanctorum festivitate apoplexiae morbo abripitur, et sacra unctione munitus communi omnium bonorum luctu e vivis defecit die VII Novembris anno MDCCXXX aetatis suae LXX [1]. Ejus cadaveri

[1] Ejus sunt: 1.° Oratio Panegyrica col titolo: Il gran Santo nelle occasioni d'esser gran peccatore. Panegirico in lode di S. Carlo Borromeo recitato nella Metropolitana di Milano li 4 Novem

pontificales exequias praestitit Casimirus Rubeus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia Episcopus Capsensis, et locus pro tumulo datus est in Sacello S. Caroli Ecclesiae Cathedralis, cui haec fuere inscripta.

GEORGIO . CATTANEO
SACRI . ROMANI . IMPERII . BARONI
FEUDATARIO . MANDELBERG
NOBILITATE . PIETATE . DOCTRINA
PRAESTANTISSIMO
CAROLO . VI . ROMANORUM . IMPERATORE . PROMOVENTE
CLEMENTE . XI . PONTIFICE . MAXIMO . APPROBANTE
EX . CANONICATU . ORDINARIO . MEDIOLANENSIS . ECCLESIAE
AD . VIGLEVANENSEM . EPISCOPATUM . EVECTO
OB . POPULORUM . SALUTEM . VERBO . ET . EXEMPLO
DILIGENTISSIME . PROCURATAM . ECCLESIAM . SIBI
COMMISSAM . ARDUIS . TEMPORIBUS . STRENUE
ADMINISTRATAM . INGENTIBUS . APUD . DEUM . ET
HOMINES . MERITIS . CUMULATISSIMO
PATRUO . BENEMERENTI
JOANNES . ET . GEORGIUS . BARONES . CATTANEI
MOESTISSIMI . NEPOTES . PP
OBIIT . SEPTIMO . IDUS . NOVEMBRIS . ANNI
MDCCXXX
AETATIS . SUAE . LXX
PONTIFICATUS . SUI . XVIII

Viduata suo Pastore Viglevanensi Ecclesia, coacto rite Canonicorum Senatu, die XI Novembris Canonicus Jacobus Antonius Fusi omnium votis renunciatus est Vicarius Capitularis. Inter haec vita functo anno MDCCXXXI (3) Canonico Theologo,

...re 1690 – 2.° Decreta condita in Visitatione trium Vallium Helveticarum peracta an. 1708 nomine Cardinalis Archinti Archiepiscopi Mediolani.

(3) Hoc eodem anno maximum publicae turris aes campanum fuit refectum, et dein in Ecclesia Cathedrali sacratum ab Abate Carbella Ordinis Cisterciensis.

idem Senatus per supplicem libellum commendavit Sacerdotes tres, quos digniores habebat: qua commendatione ad Aulam Imperialem delata, Carolus VI Romanorum Imperator jure suo ad id muneris selegit Andream Tornaghi ex tribus primum in supplici libello propositis (9). Is autem fuit qui immensis propemodum laboribus exantlatis una cum tribus Mediolanensis Athenei sociis Sacrae Rotae Romanae decisiones redegit ad modum Indicis per materias et tractatus in quinque tomos distributas.

(9) Archiv. Capit.

CAPUT XXIII.

DE CAROLO BOSSIO

VIGESIMO VIGLEVANI EPISCOPO

Ex Patritia Bossiorum gente, quae inter clarissimas et antiquas inclytae Urbis Mediolani familias locum habet (1) ortum duxit Carolus Simon Bossius vigesimus Viglevani Episcopus. Ipsi pater fuit Galeatius Bossius ex Marchionibus Castri Mussii, jurisconsultorum Collegii, justitiaeque Praefectus, mater vero Appolonia de Rosalez nobiles conjuges (2). Adolescens, ut pissimo indulgeret ingenio, in Clericorum numero adscribi voluit, sacrisque studiis se totum permisit. Sacerdotio initiatus in Metropolitana Ecclesia Archipresbyter renunciatus fuit; quam dignitatem, aliaque sibi concredita munia, cum laudabiliter diu explevisset, tandem ab Augusto Carolo VI Imperatore Viglevanensem Ecclesiam gubernandam suscepit anno MDCCXXXI. Interea Romam petiit, ubi die XVIII Junii memorati anni a Clemente XII Pontifice Maximo fuit publico praeconio Episcopus Viglevani dictus. subsequenti autem die Dominica, nempe in festo S. Joannis Baptistae, in Basilica SS. XII Apostolorum coram Catholico Angliarum Rege Jacobo III piissimaque ejus uxore Maria Clementina Lobieschi sacro fuit Chrismate inunctus a Cardinali Zondadario assistentibus ad sacram actionem Praesule Bossio

(1) Vide Morigiam, *Della Nobiltà di Milano*; Crescentium, *Amphit. Famil.*, Par. 1, et Bonafinum pag. 15.

(2) Post multas perquisitiones, tandem ex libris baptizatorum extinctae Paroeciae S. Maurilii Mediolani modo asservatis in Ecclesia Collegiali S. Georgii ad Palatium colligimus, Carolum Simonem Bossium in locem editum fuisse anno 1669 die prima Aprilis, diéque octava baptizatum.

Archiepiscopo Nazianzeno fratre Antistitis nostri, et Francisco Pertusati Episcopo Polatensi (3).

Supremum itaque Ecclesiae suae adeptus regimen Episcopus Bossius in omnibus fuit singulari prudentia, et humanitate. Eo tempore Princeps Lichtesteinius Austriacarum copiarum Dux manebat hic in stationem, cui Viglevanenses debebant plurimum quod astu caverat, ne gravi obsidione tenerentur ipsi, et anno MDCCXXXII extrui jussit statuam in foro maximo insignis magnitudinis, quae perenne monumentum foret tum suae pietatis eximiae erga Divum Joannem Nepomucenum, tum benevolentiae non mediocris erga eosdem Cives.

Anno autem sequenti MDCCXXXIII difficile exarsit bellum, in quo CAROLUS EMMANUEL Sardiniae Rex felicis semper recordationis, inito cum Gallis foedere in Germanos, supremus belli Imperator salutatus, Viglevanum appulit cum suis, Gallorumque copiis, quibus in Mediolanensem Provinciam irrumpere meditabatur, praecipuaque ejus arce potiri, ut reipsa evenit non multo post. Ipse per nonnullos dies sub finem mensis Octobris commoratus est in Palatio Episcopali; quo temporis spatio a Capitulo, universoque Clero ad limina Templi maximi exceptus sacris aderat quotidie cum Aulicis suis, militiaeque Praefectis. Illud vero exploratum est, quod Episcopus Bossius tantam sibi conciliarat Regis benevolentiam, ut exinde quam optime semper in eum fuerit animatus, at vero Clementissimi Regis praesentia recreabantur Cives mirum in modum; suspiciebant enim in Augusto Principe, et Parentem optimum, et Regiam majestatem cum incredibili prope humanitate conjunctam. Exercitus vero universus prope Viglevanum est castrametatus in aperta planitie appellata *La Brughera*.

Persimili porro honore anno MDCCXLV Praesulem nostrum affecit VICTORIUS AMADEUS tunc Sabaudiae Dux qui dein fuit Sardiniae Rex III. Is enim huc venerat, ut equestris suae Legionis imperium sumeret, suoque nomine decoraret. De hujus adventu Principis gratulati sunt maxime Viglevanenses. Hinc Civitas undique plausu resonabat, omnes flagrabant studio eum propius intuendi, ejusque propterea mansionis dies in hac Civitate habiti sunt tamquam solemniter laeti, et feriati. Tanta autem fuit ipsius, et comitas, et benignitas, morumque suavitas, ut omnium sibi animos devinxerit.

Rebus Mediolani ab Rege prospere gestis, nuntiatur ei suavissimam conjugem

(3) Acta Romana.

suam Polixenam Christinam de Hassia Rhenophelda die XIII Januarii anno MDCCXXXV Augustae Taurinorum obiisse mortem; quae mors Regis animum percubit dolore summo. Re audita Bossius Mediolanum se contulit, ubi specialiter delegatus in Basilica Metropolitana justa persolvit Augustae Reginae, adiitque moerentissimum Regem, ut, quae assolent, officia in hujusmodi infortuniis exequeretur.

Sub initium autem hujus anni Ecclesiae Cathedralis Canonici, caeterique Beneficiarii residentes, a Sacra Concilii Congregatione acceperunt litteras, quibus ipsa, annuente praesertim Episcopo Bossio, eorum precibus indulsit, ut scilicet convenirent in Chorum datis temporibus ad normam Metropolitanae Ecclesiae; decrevitque ulterius, Antiphonam *Salve Regina*, oratiunculas pro pace, aliasque hujusmodi canendas statim fore post Completorium, exceptis, ut ajunt, de praecepto festis, ac B. M. V. Solemnitatibus, in quibus fas non erit a praescriptione recedere.

Ut autem Praesul noster Decretis Romanis obsecundaret, coacto universo Capitulo, veterem horarum notam conveniendi in Chorum delevit prorsus, novamque instituit, et ut sarta tectaque Choro frequentia praestaretur, cuique diei, ac singulis Horis Canonicis nova distributionum compendia, seu dispendia statuit die tertia Aprilis anni MDCCXXXV (4).

Postero autem anno, absoluta, perfectaque sacra Æde Inclyte Congregationis Divi Caroli hujus Civitatis, nihil magis in votis habuit pius Antistes, quam ut citius sacrae ibi agerentur actiones; imminebat Divo Carolo dicata dies. Quare recurrente ejusdem Sancti solemnitate (5), supplicatione publica e Templo maximo ad ipsam Ædem magnifice ornatam se contulit Episcopus, icone praecedente ejusdem Sancti Cardinalis egregie depicta, atque elata a duobus Congregationis Senioribus: ibique Pontificio ritu inter selectos musicorum choros habuit sacrum, cui aderant Cives, exterique quam creberrimi (6).

At vero bonus Pastor Ecclesiae suae necessitati consuli non posse putabat, nisi ipse cognitum, perspectumque suis oculis haberet gregem universum, quibusque indigeret ad salutem remediis diligenter investigasset. Quapropter adjectis publicis, privatisque precibus, praemissis monitis, Pastoralem suae Dioecesis visitationem auspicatus est anno MDCCXXXII die II Junii, Dominica videlicet

(4) Archiv. Capit.

(5) Archiv. Congregat. S. Caroli.

(6) Archiv. Cong. S. Caroli. *

* An. [illegible] D. Caroli aedes clauditur; [illegible] sacris restituitur [illegible] Aed.

infra Octavam Ascensionis Domini. ac primum princeps Templum, caeteraque urbana loca, in quibus sacra agebantur; deinde reliquum Dioecesis lustravit sedulo, quaeque irrepserant absurde omnino abstulit, veterem disciplinam instauravit, legesque tulit de Psalmorum cantus temperatione, de observantia rituum, ac caeremoniarum. Omnia Missarum onera ad redituum proportionem reduxit, constituitque, ut in singularum celebratione erogarentur oboli imperiales viginti. Vetuit insuper, quemadmodum jam statutum fuerat a Praedecessoribus suis, ne Canonicorum Collegium impetratis a S. Sede vacationibus uteretur diebus a Decreto exceptis, aliaque quamplura edixit ad sacrorum rationem spectantia, divinique cultus incrementum, obfirmavitque oppertunis decretis (7).

Quamquam vero in rem sacram tanto studio incumberet Praesul Bossius, nullum tamen officii genus praetermisit, quod ad humanitatis, animique significationem spectaret. Hinc rogatus a Comite Nadasti Pannoniae equestris alae Magistro libenti animo Iriam profectus est anno MDCCXXXVIII atque ibi Dominica prima Octobris in Templo S. Mariae nuncupato, Sacrificio peracto celebritate maxima, nobilium virorum exterorumque stipante corona, vexilla bellica sacra benedictione mactavit, quae postea equitibus prolixa tradidit caeremonia (8).

Interea extructo latius et magnificentius opere marmoreo B. Matthaei Carreri Ordinis Praedicatorum Sacello sub ara maxima S. Petri Martyris, universi Cives, Patresque ejusdem Ordinis in id toti incubuere, ut a die VIII Maji anni MDCCXL haberentur per triduum precationes solemnes, quas summo apparatu, ingentique populi frequentia iniit Episcopus Noster, primoque die solemne peregit sacrum in honorem B. Matthaei. Post vesperas ejusdem diei solemnes sacrum Beati corpus jam fere tribus ab hinc saeculis populorum devotione sine ulla cultum intermissione, quodque novissime fuerat translatum e veteri in recentem arcam affabre elaboratam, praetiosisque ornatibus undique effulgentem, celeberrima utriusque Cleri, omniumque Sodalitatum supplicatione, innumeris propemodum ardentibus cereis circumlatum est per Urbem ubique splendidissime ornatam, incredibili pene multitudine ubique confertam. Ubi vero ad S. Petri Martyris ventum est in reditu gratiarum hymnum praecineus Episcopus, concentu exquisito reliquum musici absolverunt (9). Sacra deinde Beati exuviae fuerunt

(7) Acta Visitationis

(8) MSS. Min. Ref. S. Francisci Iriae, seu Vogherae.

(9) Archiv. S. Petri Mart.

repositae novum super altare lectissimo marmore constructum in medio magnifici subterranei Sacelli.

Aucta deinde B. Matthaei veneratione, atque ad finitimas etiam civitates, et gentes propagata, accedentibusque precibus Episcoporum, Cleri, et Magistratus Mantuae et Viglevani, nec non Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, Benedictus XIV P. M. die XXIII Septembris anno MDCCXLII indulsit, ut imposterum singulis annis die VII Octobris B. Matthaei Officium, et Missa de Communi Confessoris sub ritu duplici ab universo Clero Mantuano, et Viglevanensi, atque a cuncto Praedicatorum Ordine celebretur. Anno vero MDCCL, die III Augusti, Orationem et lectiones proprias concessit.

Hoc interim spatio Carolus Emmanuel Rex aeterna dignus memoria potitus est rerum prosperitate tanta, ut anno vix incepto MDCCXLIV Viglevanensem Provinciam cum aliis finitimis regionibus Regno suo adjecerit. Quo nuncio accepto Antistes Bossius Taurinum petit, ibique de adaucto imperio gratulatus est invictissimo Regi, suamque obedientiam testatum voluit praeclare. Idipsum quoque nomine Capituli Praepositus et Theologus Cathedralis Ecclesiae specialiter delecti praestitere (10).

Caeterum nulla unquam delebit oblivio illius diei memoriam, quo die in ditionem venimus Augustae Sabaudiae Domus. Ab eo enim tempore nullum publicarum calamitatum genus hanc provinciam perturbavit, sed incolarum frequentia fuit aucta, et annonae ubertas, et commercii opulentia in sericis potissimum texturis, et artium studia, et legum custodia, diuturnaeque pacis commoda viguerunt, et vigent adhuc in dies.

Quamquam vero Episcopus Bossius vir esset ad omnem benignitatem temperatus, et ab omni controversia vehementer abhorreret, infirmaeque sibi animo esset, cum nemine de re sua judicio contendere, nulla tamen ratione declinare potuit lites gravissimas, quae Mensae Episcopali intendebantur Res agitata fuit diu omni contentione, sed ipse causam defendit suam, juraque tutatus est Mensae strenue admodum, ac diligenter non sine gravi dispendio. Contulit etiam postea pecuniae plurimum ad Episcopalis Villae instaurationem in Castro Zemidae positae, quam et nobiliorem reddidit, ac magis usui accomodatam.

Hoc loco non est omittendum, ultimo sui regiminis anno, magnificum Canoni-

(10) Archiv Capit.

corum Ecclesiae Cathedralis Sacrarium affabre, eleganterque ex ligneis toreumatibus extructum, tandem absolutum fuisse Calendis Aprilis.

Postquam vero unum supra viginti annos demandatam Ecclesiam pie gubernasset Antistes Bossius, et pastoralis munia strenue explesset, gravi senectutis onere, et febrili ardore pressus, ac sanctissimis Ecclesiae praesidiis rite munitus mortalitatem quoque explevit die VII Octobris anno MDCCLIII aetatis suae octogesimo quarto super menses sex et dies sex. In solemne ejus funus venit Ignatius Rotarius Sanseverinus Episcopus Novariensis, et corpus sepulcro conditum fuit in Sacello S. Caroli Templi maximi hoc elogio marmore insculpto.

CAROLO BOSSIO PATRICIO MEDIOL.
ET METROPOLIT. ECCL. ARCHIPRESBITERO
EPISCOPO VIGLEVANENSI
RELIGIONE PIETATE PASTORALI CURA
SPECTATISSIMO
POST UNUM SUPRA VIGINTI ANNOS
STRENUE GRAVITER PIE
ADMINISTRATAM ECCLESIAM
VITA FUNCTO
MARCHIO GALEAZ. BOSSIUS
EX FRATRE FILIUS
PATRUO BENEMERENTI
P
OBIIT NONIS OCTOBR. ANNO MDCCLIII
AETATIS SUAE XXCIV.

Regia Viglevanensis Ecclesia suo viduata Pastore per suos Canonicos electores rite convocatos die X Octobris Vicarium Capitularem agnovit Archidiaconum Cathedralis Andream Tornago Viglevanensem dein sequentis Episcopi Vicarium Generalem

CAPUT XXIV.

DE FRANCISCO AUGUSTINO AB ECCLESIA

VIGESIMUS PRIMUS VIGLEVANI EPISCOPUS

Apud Salutienses clarissima semper extitit familia ab Ecclesia, quae per quingentos et amplius annos multos extulit viros rerum publicarum administratione, militaribus, ecclesiasticisque Praefecturis, et omni scientiarum genere illustres (1). Ex hac nobili gente fuit etiam nostris temporibus insignis vir, et strenuus majorum suorum aemulator Alexius ab Ecclesia Magister equitum, Supremi Ordinis SS. Annunciationis Eques torquatus, ac Ducatus Sabaudiae Gubernator Ab hujus fratre natu majore, idest Carolo Josepho Roddi, et Cinzani Marchione

(1) Etsi nostri non sit instituti recensere insignes viros familiarum, quae Episcopos nostrae suppeditarunt Urbi, attamen sicuti in jam conscriptis Episcopis tam Hispanis, quam Mediolanensibus et aliis non nullos praestantiores viros de eorum spectatissima gente obiter memoravimus, ut dignosceretur a qua sanguinis nobilitate, et a quibus majoribus ob praeclara gesta illustribus ortum duxerint Praesules nostri, sic liceat mihi de hoc primo inter Pedemontanos Episcopo aliquos excellentiores de ejus progenitoribus enumerare, qui nomen memoria dignum posteris reliquerunt.

Commendandus in primis est Nicolaus ab Ecclesia Abbas Stafardi doctrina et eloquentia clarus circa annum 1260, cujus meminit historia chronologica Pedemontii. Is erat nepos Anselmi strenuissimi militis, qui pro Manfredo II Salutiarum Marchione causam contra cives Astenses sustinuit, ac pugnavit annis 1202 et 1204 dum inter eos de quodam agro lis agerentur.

Illustrem quoque sibi famam compararunt et Guillelmus, quem Salutiarum Marchio et Princeps Consiliarium sibi delegit anno 1317, et Andreas Jurisconsultus celebris qui acceptam a majoribus nobilitatem in posteros propagavit. Hic, cum esset belli, pacisque artibus apprime instructus, a Ludovico I Salutiarum Marchione anno 1422 ad supremum magni Cancellarii munus evehitur, ad Amedeum VIII primum Sabaudiae Ducem, ad Carolum VII Francorum Regem, et ad Joannem

(qui fuit Sardiniae Regis Caroli Emmanuelis primus Cubicularius, et Eques magnae Crucis Ordinis Ss. Mauritii ac Lazari), atque ex nobilissima Silvia Gabriela Merotia secunda ejus uxore Augustae Taurinorum editus est Franciscus Augustinus anno MDCCXVII, de quo brevem admodum conscribimus commentarium, eo quia sui Episcopatus dies nimis breves fuerunt.

Erat ipse inter novem fratres masculos ecclesiasticis, et militaribus praefecturis spectatissimos natu tertius. Adolescens ingenii docilitate et morum suavitate praeditus, ingenuarum artium scientias excoluit, cumque ad illam pervenisset aetatem, quae ad certam vitae rationem capessendam habetur aptissima, ecclesiasticam in saeculo vitam est amplexus, et totus in eo fuit, ne quid eorum praeteriret, quae ad animum viri in sortem Domini vocati excolendum maxime conducunt. Interea juris civilis et canonici studiis operam dedit, atque in Taurinensi Athenaeo Doctorum insignia est adeptus: mox per inferiores Sacrorum Ordinum gradus ad Praesbyteratum ascendit, atque ad suscepti Sacerdotii administrationem majoribus virtutum ornamentis se diligentius comparavit.

Jam porro non ignorabat, reprehensione omnino non carere eum hominem, qui semel virtutis iter ingressus, medio veluti in cursu subsistens, quam sibi facultatem laboribus pepererat, in aliorum utilitatem non confert, illi servo merito comparandus, qui talenta ad fidelium salutem sibi divinitus tradita per desidiam abscondit. Quamobrem proximorum salutem quaerere, sacra obire munia, divini cultus incrementum promovere totis viribus contendit. Dum hisce pietatis operibus incumbit ab Augusto immortalis nominis Sardiniae Rege Carolo

Jacobum Montisferrati Marchionem legatione amplius est perfunctus quoique ab eodem Carolo VII Regiorum Consiliorum pars instigatur.

Magnam dignitatis accessionem habuit familia ab Ecclesia ex acri illo et vegeto Augustini J. C. amplissimi ingenio, qui, peracta legatione ad Henricum II Gallorum Regem patriae nomine, anno 1547 citra moenias Judex appellationum, et anno 1550 Vicarius Generalis Civitatis Astensis constitutus quibus in muneribus a Francisco II et a Carolo IX Galliarum Regibus confirmatur. Augustinus, cum ob doctrinam et prudentiam esset laudatorem Regum Consiliarius, decisionem regii Consilii recensuit. Clarissimo huic viro addatur Ludovicus J. U. Doctor eximius, et Caroli Emmanuelis I Sabaudiae Ducis Consiliarius, et Senator optimus, qui patriam historiis illustravit variis et Pedemontani Senatus observationes forenses edidit.

Celebres insuper fuerunt duo bonorum Antistites ex familia ab Ecclesia, primus est Franciscus Augustinus Salutiarum Episcopus electus ab Urbano VIII P. M. anno 1642. Praesul fuit eruditissimus, et historiae diligentissimus, atque in omni scientiarum genere interior excellens. Alter est Nicolaus Albae Pompejae Episcopus ob ingenium, doctrinam et praeclare gesta memorabilis. Legatur *Nomenclatio familiae ab Ecclesia* excerpta ab Joanne Francisco Hanelio Taurinensi Jurisconsulto.

Eleemosynarii ad amplissimum Eleemosynarii Regii officium evehitur, Aulaeque Regiae Vicarius Generalis declaratur.

Gravissimorum horum munerum partes tanta explevit fide, tantaque prudentia, ut concepta de eo existimatio percrebuerit: proinde ampliori jam dignus honore apud omnes judicabatur. Cum autem per id tempus suo viduata Pastore Viglevanensis Ecclesia supplices ad Coelum effunderet preces, ut optimum daret Episcopum, laudatus invictissimus Rex, cui nota jampridem erat hominis probitas et fides, mense Octobris anno MDCCLIV aptissimum eum censuit, cui sacra nostrae urbis moderanda decernerentur.

Viglevanensium itaque Antistites renunciatus Franciscus Augustinus, Romaeque Summo Sacerdotio de more initiatus, in suae Ecclesiae et Episcopatus possessionem per procuratorem est immissus die XIX Aprilis anni insequentis. Multa autem ardens cupiditate desponsatam sibi Ecclesiam quamprimum adeundi, ad eam venit; et die Sanctissimae Trinitati dicata, nempe XXV Maji Urbem solemni apparatu, et Pontificio more est ingressus, mira omnium Ordinum laetitia ac celebritate magnifice exceptus (a).

In hanc ut venit, quanto excelleret studio in rem sacram incumbendi statim significavit. Etenim tres post dies ab ejus solemni ingressu, redeunte Sanctissimi Corporis Christi celebritate, post sacra, ut Pontificem decet, operata solemnem duxit supplicationem, et ne quidquam praeteriret, festo Principis Apostolorum accomodatissima homilia populum est allocutus. Viglevanenses nova hujus regiminis initia conspicientes existimabant optimum a Deo esse assecutos Episcopum. Ast mors immatura rerum omnium turbatrix eorum fefellit expectationem, captamque laetitiam paulo post in moerorem convertit, siquidem vix dum septuaginta septem dies eum Antistitem habuerunt, et quanto brevior fuit administratio, tanto amissio ejus gravior propter opinionem, quam de ipso conceperant, praeclarissimam.

Cum autem ad divinum cultum promovendum prima Pontificatus exordia impenderet Franciscus Augustinus in sacris actionibus obeundis, rogatur a Mortariae Civibus ad celebranda solemnia sacra in proxima S. Laurentii Civitatis Patroni festivitate: pio eorum indulget voto, et dum ad hujusmodi solemnitatem pontificio ritu celebrandam se comparat, atque ibi omnia pro excipiendo

(a) Legatur solemn. ingress. descriptio una cum Orat. Mediolan. impress. anno 1755 typis Malatesta.

novo Praesule disponuntur, febri tertiana afficitur, levi ea quidem, et cui nullum inesse vitae periculum Medici testabantur: verum accedentibus magnis febribus, quae Viglevani ea tempestate perniciosae dicuntur, et nitentibus frustra Medicis, morbus quotidie magis ingravescit. Quapropter cum vitae finem adesse sentiret, sibi omnia, quo Christiano, et Episcopali ritu ad morituros spectant, administrari statim et publice postulavit: gravi deinde oppressus lethargo, ex quo remedium nullum etsi violentum excitare eum valuit, somnum obdormivit perpetuum die XI Augusti MDCCLV. Annum exegerat septimum et trigesimum. Et morienti inter alios germanos fratres adfuit etiam Ignatius ab Ecclesia Episcopus Casalensis, qui eum amabat plurimum.

Vix est auditum lugubre ex aere campano signum inexpectatae mortis Pontificis ab Ecclesia, cum grex universus attonitus haesit, et doluit quammaxime florente aetate suum obiisse Pastorem. Ejus cadaveri funebria justa solemni pompa persoluta fuere die XIV ejusdem mensis a Joanne Petro Solario Episcopo Vercellensi, et locus pro sepulcro datus est in Sacello D. Hieronymi Templi maximi, ubi adjectum fuit marmoreum monumentum sequenti epitaphio litteris inauratis exarato.

D. O. M.
FRANCISCO . AVGVSTINO . AB . ECCLESIA
EX . MARCHIONIBVS . RODDI . CINZANI . ETC.
PIETATE . NON . MINVS . QVAM . SCIENTIA . INSIGNI
REGIS . ELEMOSYNARIO
AVLAEQVE . REGIAE . VICARIO . GENERALI
EPISCOPO . VIGLEVANENSI
AC . REGIO . CONSILIARIO . INAVGVRATO
IMMATVRA . MORTE . PRAEREPTO
DOLENTES . FF . POSVERVNT

Regii Canonici rite convocati eadem die qua vidua facta est Ecclesia Viglevanensis, ob alias perspectam probatamque Archidiaconi Andreae Ternaghi integritatem, justitiam, ac disciplinae Ecclesiasticae zelum, suis suffragiis et summa consensione eum iterum Vicarium Capitularem declararunt.

CAPUT XXV.

DE JOSEPHO FRANCISCO SCARAMPO

VIGESIMO SECUNDO VIGLEVANI EPISCOPO

Scaramporum familia, quae antiquitus jure Legis Salicae vivebat, inter Patritias Astenses (1) clarissima semper extitit, ne dum ob plura feuda Imperialia (2) quae possidebat, verum etiam ob quamplurimos viros omni virtutum genere ornatissimos in lucem editos, et omissis caeteris magni nominis hominibus, de quibus consuli possunt historici (3), memorabiles instar omnium semper erunt

(1) Asservatur adhuc Poema incerti auctoris exaratum Astae Pompejae anno 1409, ubi in Antiquarum Astensium familiarum descriptione hoc de Scarampis legitur distichon:

Estque Scarampa Domus, quae non cuiquam ulla
Aut fuit, aut nostro est tempore nobilior.

Et revera Paulus Jovius Episcopus Nucerinus in vita Othonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis refert Solarios, Rotarios, Malaspinas, Scarampos, ac Valpergas, qui in Alpibus Cottiis et Apenninis nobilitate ac opibus jam florebant, in apparatu belli equos, arma, tela, quadrigas, commeatum, omnis generis vectem ac denique pecuniam laudato Othoni Vicecomiti contulisse.

(2) Joannes Simonetta in hist. de rebus gestis Francisci Sfortiae Mediolanen. Ducis, initio lib. X apud Murator. rer. Ital. Scriptor., tom. XXI columna 415, haec habet: « Nec minus Joannes Mon- « tisferrati Marchio militaribus deficientibus copiis, « omnem sibi proximae incolam tum litteris, tum « nuntiis sollicitabat quorum permulti ex Carreta, « Scarampa, et Spinola familia, qui multa in « Regione finitima possidebant municipia. »

(3) Auctor libri inscripti *Clypeus Civitatis Astensis* pag. 70. — Guil. Anton. Malabaila in *Compendio Istoriale della città d'Asti* pag. 23. — Muratorius in *Annal. Ital.* ad an. 1450 atque in aliis operibus plurimum celebrat Cardinalem Ludovicum Scarampum ob insignes legationes optime gestas. — Baronius in *hist. Ecclesiast.* illustrem mentionem facit de Rolando Scarampo Patriarcha Constantinop. — Legatur laudata Oratio Francisci Philelphi de Lazaro Scarampo Episcopo Comensi viro suo doctissimo. — Videatur Vita Venerab. Petri Francisci Scarampi Praepositi Congregationis Oratorii Romani conscripta a Paulo Arrighio cum notis Francisci Hieronimi Gustaldi

duo insignes ex hac nobilissima familia Episcopi, qui interfuerunt duobus Æcumenicis Conciliis. Primus est Beatus Henricus Scarampus patritius Astensis, Othonis filius, prius Aquensis [4], mox Feltrensis et Bellunensis Antistes [5], qui cum in plurimis rectam B. Margherita a Sabaudia conscientiam moderaretur, eam in magnifico itinere Genuam versus comitatus est [6]. Emituit quammaxime amplissimi hujus Praesulis prudentia, et zelus in Concilio Generali Constantiensi, in quo ad reddendam Ecclesiae diu peroptatam pacem, omnibus Patribus consentientibus, lege cautum fuit, ut ad eligendum Romanum Pontificem pro ea vice tantum ultra Cardinales deligerentur sex Praesules de qualibet natione, videlicet Itala, Gallica, Germanica, Anglica, et Hispanica, atque inter sex electores nationis Italicae electus fuit Henricus Scarampus Episcopus Feltrensis, qui ad resecandas omnes Schismatum praetextus in Conclave sunt ingressi, et simul cum Romanae Ecclesiae Cardinalibus supremum Pontificem anno MCDXVII die XI Novembris crearunt Odonem Columnam Cardinalem, qui sibi Martini V nomen indidit, et Henricum sui thesauri ministrum constituit, eumque aliis muniis auxit [7].

A sacrosancta eadem Synodo delectus fuit Henricus una cum Archipraesule Mediolanensi, et quatuor aliis Episcopis ad deponendum hereticum Joannem Hus de dignitate Sacerdotali, aliisque Ordinibus, quibus insignitus erat: moesta et gravis haec caeremonia habita fuit coram Venerabilibus Concilii Patribus, Sigismundo Imperatore, aliisque Europae Principibus, et secundum quod ordo juris requirit, Curiae saeculari puniendus traditus fuit infelix et pertinax Hus, qui una cum Hieronymo de Praga vivus fuit combustus. Illud est Henrico illustre, quod in ea temporum difficultate ob eximiam suam pietatem et religionem non solum Martino V Summo Pontifici, sed etiam Imperatori Sigismundo apprime fuit carus, tantamque apud eum adeptus est benevolentiam, quantam Sacrorum Antistitum nemo per eam aetatem. Quapropter et eum Caesar semper humanissime habuit, observavit, suumque consiliarium instituit. Tandem plenus meritis ad coelestem beatitudinem evocatus est die 29 Septembris anno 1440 —

(4) Ughelli *Ital. Sacr.* tom. IV, pag. 75 de Episcopis Aquensibus.

(5) Idem Ughelli tom. V, colum. 165 de Episc. Bellunens.

(6) Acta Sanctorum conscripta a Petro Hiacinto Gallizia Can. Eulan. Colleg. oppidi Javeni tom. VI, pag. 110 et seq.

(7) Harduinus in Actis Concilior. tom. VIII, col. 858, Cabassutius in hist. Concil. Constant.

qui cum vivens se bonum Pastorem, et fidelem servum in omnibus probasset, defunctus, Beati cultum, ac nomen est assecutus ejus corpus in Ecclesia Cathedrali Feltrensi sepultum fuit, incorruptumque hucusque perseverat, etri quidem coloris, sed palpabili, et frequenti piorum hominum lustratione ac cultu venerabile [8].

Alter est Antonius Scarampus ex Comitibus Canellarum, qui dum esset Episcopus Nolanus Æcumenicae Tridentinae Synodo interfuit, et subscripsit. Postmodum anno 1569 Episcopus Laudensis designatus plura memoratu digna peregit ineunte subsequenti anno a Sancto Pio V Romano Pontifice delectus ad inquirendum de illis, qui Divo Carolo Cardinali Borromeo tormenti bellici laxata rota, necem inferre tentarunt, quaestionem in reos instituit, eosque jure mulctavit [9]. Aliis Legationibus pro Sede Apostolica, apud Imperatorem, et Reges perfunctus Laudae Pompejae migravit ad Dominum anno MDLXXVI exeuntes Julio, solemnes exequias celebrante, et Scarampianas laudes recensente praefato D. Carolo Borromeo Archiepiscopo Mediolani et Cardinali [10]. Praetereo strenuos Ordinis Hierosolimitani equites, aliosque viros, et bello et pace per omnes aetates clarissimos Marchio Aloysius Galeatius Scarampus insignis probitatis vir, qui cum Violantam Heleonoram Incisam praecipuae nobilitatis foeminam secundo duxisset conjugio, suscepit ex ea filios tres, quorum natu minimus est Joseph Franciscus, de quo scribimus [11]. Hic itaque die S. Mattiae sacra anno MDCCXX natus est in Oppido Curtis-milii, *Cortemiglia*, suae Domus feudo, Provinciae et Dioecesis Albae Pompejae. Illis artibus Augustae Taurinorum informatus, quae nobilem adolescentem maxime decent, Clericali militiae nomen dedit. Quare Romae in nobile Seminarium Romanum cooptatus septennium feliciter egit in Philosophiae, ac Theologiae disciplinis, in iisque Laureae ornamentum in Collegio Romano est adeptus. Sacerdotio ibi initiatus Augustam Taurinorum revertitur, et paulo post vix vigesimum septimum aetatis suae annum attingens ab insigni Sardiniae Rege CAROLO EMMANUELE aequissimo meritorum aestimatore accepit gubernandum Regium Provinciarum Collegium; postmodum et officio

(8) Idem Ughelli tom. v, colu. 371 de Epis. Feltr., et vol. tom. col. 465 de Epis. Bellunen. Bollandi. act. Sanct. tom. vi, pag. 1

(9) Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. II, cap. XI et Glussano in vita ejusd. Sancti lib. II, cap. XXVI

(10) Solemnia ejus funera cum Laudae Pompejae religiosissime celebraret laudatus D. Carolus, nuncium accepit de contagione in Mediolani exorta. Idem Glussano *Vita di S. Carlo* lib. 4, cap. 1, et Acta Sept. Syn. Laudens. pag. 283

(11) Acta Romana, et Genealog. Famil. Scaramporum

Moderatoris in Regia Scientiarum Academia augetur, et in Aula Regia ad Eleemosinarii, et Vicarii Generalis dignitates promovetur. Amplissima haec munera dum sapientia et integritate gerebat, ab eodem Rege, cui acceptissimus erat, Episcopus Viglevanensis renunciatus fuit anno MDCCLVII labente mense Majo. Exinde publico praeconio Romae a Benedicto XIV Ecclesiae Viglevanensi praeficitur die XVI Julii, ac die XXV ejusdem mensis Divo Jacobo sacra a Cardinali Guidobono Cavalchino in insigni S. Ignatii Templo chrismate fuit delibutus (12).

Sacra igitur infula honestatus Antistes Scarampus, et inita jurium Episcopalium possessione, Dominica secunda Novembris idest XIII die ejusdem anni suam civitatem magnifice ea occasione ornatam solemni pompa ingressus est, exceptus honorifice, mira omnium Ordinum laetitia et gratulatione. *

Prima Pontificatus exordia ad ea cognoscenda, quae Pastoris sunt, impendit. Quare universae Dioecesis lustrationem coepit anno MDCCLIX exeunte mense Aprili. Peracta Dioecesis visitatione, compositisque omnibus, quae corruptelam tollerent, et pietatem confirmarent, nonam Viglevanensem Synodum in Templo maximo rite coegit anno MDCCLXVIII per dies XIII, XIV, XV Junii (13) Quod in hoc Concilio statutum fuit, licet recognoscere in ipsa Synodo Augustae Taurinorum typis edita a Typographia Mairesse.

Hic locus postulat, ut aperiam quomodo sub hoc Episcopo initium habuerit magnificum Viglevani Nosocomium tam pauperibus proficuum. cum enim in testamentariis tabulis Francisci Cattanei Praepositi Ecclesiae Cathedralis vita functi anno MDCCLXVI haeredes ex asse instituti fuissent pauperes Nosocomii Majoris; pinguis haec, opulentaque haereditas occasionem praebuit simul una redigendi tria exigua Urbis valetudinaria, nec non locum pium charitatis, pharmacopolium pro pauperibus aegrotantibus institutum. Quare procurante potissimum vigilantissimo praesule Scarampo per supremam legem a Sapientissimo Rege Carolo Emmanuele latam die XXII Julii anno MDCCLXVIII cautum fuit, ut in publicum pauperum commodum et levamen memorata pia loca sub una Charitatis Congregatione simul unirentur, et ex tribus Nosocomiis unicum efficeretur, novumque magnificentius, latiusque aedificium excitaretur (14). Itaque et amplis-

(12) Acta Romana.

(13) Nulla post Antistitem Gabriel. Adurno hoc est ab an 1657 Viglevani amplius celebrata fuit Synodus

(14) Per hanc Nosocomiorum unionem redditus aucti fuerunt, aliisque pauperibus fuit provisum, et vetus pharmacopolium olim a Francisco Garrone

* Relazione del solenne ingresso ecc. Mediol. editu typis Mazzuchelli

simo huic operi Regis sub auspiciis initium dedit anno MDCCLXXI (15), ac die XXVI Maji Sanctissimae Trinitati sacra Antistes Scarampus praemissa accommodatissima concione primarium lapidem solemni ritu, et ingenti populi concursu benedixit, ac in substructionibus posuit.

Ædes Episcopales magna ex parte, cum essent vetustate collabentes, et exaesae, earumque renovationem necessariam esse ducens, magno animo, et non sine multi aeris impensa totius instaurationem Episcopii est aggressus non interdum ope, sed partim a fundamentis extruxit, partim restituit, universumque Palatium Episcopale in novam magnificentiorem, elegantioremque formam ad majus Antistitum Viglevanensium commodum redigere studuit. Inter alias conspicere est venustissimam Pinacothaecam, Sacellum, Aulam, Procetonem, Cavaedium, aliasque partes opere marmoreo, egregiis picturis, et variis anaglyphis ex Albario ornatas. Non solum in Urbe, verum etiam in praedus a se in praestantiorem statum redactis plura funditus aedificavit, aliaque amplificavit. In perenne sui amoris testimonium erga desponsam Ecclesiam novas vestes Pontificales Templo Maximo donavit, in eoque ad honorem Sanctorum Ambrosii et Caroli magnificam construxit aram lectissimis marmoribus, columnis, statuis, et optima pictura illustratam.

Ut magis magisque et Sacrorum Templorum fulgeret majestas, ac honos aerisque salubritas, et sanitas publica firmaretur, Episcopo Scarampo quammaxime cordi fuit, ut juxta antiquas ecclesiasticas et civiles leges laudabilis restitueretur consuetudo defunctorum corpora sepeliendi in Coemeteriis. Quamobrem suis maxime sumptibus, suoque singulari studio publica, et ampla Coenotaphia extra urbem funditus aedificanda curavit; iis autem constructis providentissima Augustissimi Regis nostri VICTORII AMEDEI sanctione cautum fuit, ut omnino defunctorum corpora, paucis exceptis, ibi humarentur, primaque die mensis Octobris anno MDCCLXXXI novae hujus legis observantia adimpleri coepit, et hoc modo prisca jura humationem cadaverum in Urbibus, et locis habitatis prohibentia (16), et sensim exoleta ad observationem revocata fuere.

proprio aere fundatum, ut medicamenta pauperibus aegrotis gratis suppeditarentur, ad novum Nosocomium fuit translatum, eorisque proventibus Clementissimi Regis VICTORII AMEDEI largitate fuit auctum.

(15) Non silendum anno 1769 novas leges seu constitutiones ab optimo Rege Nostro CAROLO EMMANUELE ad custodiendum aecium et aequum ad coercenda crimina, et ad publicum bonum latas, et in duo volumina distributas per universam ditionem promulgatas fuisse.

(16) Vulgatae fragmentum legum XII Tabul con-

Ex regia delegatione, et singulari Chirographo invictissimi Regis auream Ordinis Militaris Sanctorum Mauritii et Lazari crucem, et caetera illius dignitatis insignia solemni caeremonia benedixit, et in Ecclesia Cathedrali contulit Marchioni Maffejo aequestris Legionis Tribuno, mox Novariae Gubernatori, et Supremi Ordinis Sanctissimae Annunciationis Equiti Torquato. Pari modo in Cathedrali benedixit nova vexilla militaria, eaque tradidit strenuo equiti Cocconita postmodum Regni Ministro.

Hoc Pontifice annuente, et Capitulo assentiente venerabilis Clerus secundi Ordinis Templi Maximi anno MDCCLXXXII (17) privilegium obtinuit vacandi a Choro aliquibus diebus infra annum, sub aliquibus tamen conditionibus in Diplomate Romano expressis *

ceptum *hominem mortuum in Urbe ne sepellito, neve urito*, L. 3, § 5 de mpolc. viol., L. 12, cod. de Relig. et Sump. fun. — *Nullus in Ecclesia deinceps mortuum sepeliat* Capit. Carol. Mag. L. v, cap. 48

(17) Anno 1784 die Sabbati xi Septembris circa dimidium horam post solis occasum visus fuit Vigleval. etc. ollia fulminis regionibus ingens globus igneus, qui coelo sereno summa celeritate, et vehementia portransiit ab Oriente in Occidentem Hujus eoctor historiae, dum in foco maximo cum pluribus amicis, ellisque socis deambulabat, fragorem persentiens, hoc lucidum phenomenon est admiratus, ac post aliquod tempus per Ephemerides, et Astronomos cunnciatum fuit paucorum minutorum tempore longissimum terrae tractum percurrisse ac Dalmatia videlicet in oceanum

Nicolo post flagitante Providentissimo Rege Nostro Victorio Amaneo per Apostolicum indultum Pii vi Pont. Max. Romae datum in forma Brevis die 27 Maji anno 1780 festorum dierum numerus imminutus fuit, et omnes populi clitum aculm laudato Regi subjecti, exempti, absolutique fuerunt e praecepto celebrandorum aliquorum per annum festorum, ita ut in iis diebus Christifideles suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus omnino vacare possent, vigiliae, seu jejunia ablatorum festorum ad ferias 4 et 6 Adventus fuerunt Translata

* *MSS. adhuc Prarsulis Scarampi Vita per Gianolium. Editorum cura accedit ejusdem continuatio.*

Postero anno ineunte Julio alteram Civitatis et Dioecesis visitationem susceptam conficit noster Praesul. Nullis laboribus fractus frequenter viciniores quoque Ecclesias sedulam operam praestaturus adibat. Ad has ventitabat pro Confirmationis, et Sacrorum Ordinum Sacramentis administrandis. Consecravit Episcopos, ecclesias, altaria: maximorum Principum funebria duxit, ita tamen ut citius ad suam, quam prae ceteris diligebat, Ecclesiam reverteretur. Sacro chrismate in mortis periculo constitutos infantes sive pauperes sive divites inunxit. Mira ejus in egenos sollicitudo praesertim altiore conditione ad inopiam rerum immutationibus, et casu deductos: neminem umquam ab eo petiisse, aut accepisse paduit; adeo prompta Pontificis dextera, tantum in largitionibus misterium. In plebem quoque universam liberalissimus, quum praecipue sericum opus deficeret vel tempestatum injuria, vel saevientibus bellis intercepto commercio, et urbem egestas invaderet. Nam octo et amplius civium millia domicilium, vestes, alimenta hujus generis opera sibi comparabant: quippe ad artes prope natura factus Viglevanensis graviora, demissioraque ministeria horret; neque semel, ejusmodi expositus infortuniis, et casibus repente rerum penuria premitur. Aderat tunc munificus Antistes, qui suum censum, ut calamitatibus occurreret, prudentissime trifariam distribuerat. Prima pars domesticis usibus obveniebat, altera privatis, sacrisque substructionibus, tertia populi necessitatibus; quodque ex aedificiis in singulos annis, et ex domesticis sumtibus supererat, in pauperum fructum cedebat, qui hoc modo in dies magis magisque augebatur. Prudentissima ejusmodi numquam intermissa distributione factum est, ut ipse honeste et dignitati suae convenienter viveret, maximas constructiones eduxerit, plurima in Cathedralem Ecclesiam contulerit praetiosa dona, pauperibus numquam defecerit.

Neque minor Praesulis sollicitudo fuit et studium in Clericos et Seminarii alumnos. Viginti locis gratuitis tunc temporis Viglevani fruebantur adolescentes nati honesto loco, non tamen opulento, quibus praeceteris consuluerat quantum sitis erat Episcopus Sormanus. Latinae linguae, et humaniorum litterarum, nec non rhetorices praecepta tradebant Clerici Congregationis Somaschae, at philosophia, et theologia desiderabatur omnino. Gravissimum id erat Antistiti, et necessitati occurrebat alteros mittens ad Collegium urbanum, ubi a Clericis Regularibus S. Pauli philosophiam audirent; alteros ad sacrae theologiae Lectores in Coenobiis, non praecibus interim, non auro parcens, quo libentius et facilius

divinis scientiis imbuerentur. Tandem ut aliquo modo rei consuleret, aere suo ad hoc censum annuum Seminario addixit.

Scientiis quantum satis est Episcopo eruditus, animo ad benefaciendum promtus, prudens, pietate praestantior, consuetudine suavior non modo Clero in deliciis erat, verum ut alter parens habebatur. Suis Canonicis familiariter utens, nil majoris momenti nisi auditis pietate et scientia clarioribus suscipiebat. In paroeciis et ecclesiasticis beneficiis distribuendis unius meriti studiosus et vindex esse curavit.

Omni virtutum genere fulgebat domus episcopalis Theologus Matthaeus Gianolio (1), cujus nomen laus plurima in Ecclesia, erat a Secretis; huic religiosissimus accedebat frater Episcopi carissimus Sacerdos Aloysius Scarampi e Societate Jesu, in qua nescio major facultas et gratia eloquii, an morum suavitas, utraque sane multa, similisque pietas et religio. Totus in sanctis operibus, animisque ad perfectionem, et salutem dirigendis, academiam quamdam de re sacra morali apud se quoque constituerat, cui Sacerdotes juniores praesertim interessent.

(1) Matthaeus Gianolio Clarasci natus adolescens ecclesiasticae militiae nomen dedit, maximoque plausu Theologiae lauream in Taurinensi Athenaeo est adeptus. Ad Sacerdotium promotus, illico ab Episcopo Scarampo et Sacrarum caeremoniarum magister et a secretis optatur, et consilii quem secutus Viglevanum maxima veneratione ac benevolentia per altas reliquum est complexus. Rara constantia in agendo verbis et operibus integrum et Episcopus et Clerus summa commendatione comprobarunt. Annos novem et viginti evecto in Episcopum oeconomum, nec non Civitatis Viglevanensis utilitatem, civis publice declaratus et habitus, proponente ejus Municipio, a Victorio Amadeo III Rege Canonicus dictae Cathedralis Ecclesiae exeunte mense Aprilis anni MDCCLXXXVI. Pius absque pompa per humanas salmarum minister fastus, in elemosynis liberalis in officii sui muneribus absolvendis assiduus, ad confessiones audiendas promptus in omne, facile sibi omnium et existimationem et gratiam conciliavit maxime autem de civitate meruit Episcoporum Viglevanensium acta describens, opus sane laboriosum et alias in tanta documentorum penuria. Collacrimatus decessit XVIII Kal. Februarii MDCCLXXXIX, annos natus LXV. Statura mediocri, subtile corpore, urbebatur facies et tranquilla, non comis et suavis, maxime in vestibus munditias circum habebatur.

Laboris patiens praeter Kalendarium Dioecesanum per quinque et triginta annos diligentissime curatum addidit quoque:

1. Series Chronologica primorum septem Episcoporum Viglev. Augustae Taurinorum 1787 typis Regiis.

2. De antiquo Ecclesiae ritu expandendi velum super sponsos in benedictione nuptiarum brevis dissertatio. Vercellis 1789 ex Patrio Typographeo.

3. De antiphona Salve Regina quam ex immemorabili consuetudine recitant Sacerdotes Viglevanenses statim post Missam Historica dissertatio. Augustae Taurinorum 1790. Typis Jacobi Fea.

4. De Viglevano et ejus Episcopis. Liber primus. Augustae Taurinorum 1793 typis Jacobi Fea.

5. De Viglevano et ejus Episcopis. Liber secundus MSS., qui nunc primum typis committitur.

6. Memorie storiche intorno la vita del real principe di Marocco Muley Xeque morto in Vigevano nel 1621. Torino 1793 coi tipi di Giacomo Fea.

Neque domestica in domo negligens, aut imprudens. Familiam etenim christianis, probisque moribus delectam, jurgiis, obscenis, simultatibus abstinere, in mensem Sacramenta adire, et singulis diebus occidente sole privata in aedicula cum optimo Antistite precibus vacare praesertim ad B. V. recolendam oportebat; neque per noctem, nisi maxima urgente necessitate, ulli fiebat domo egrediendi facultas.

Sed Ecclesiae et ecclesiasticis viris gravissime jam jam tempora bellorum et seditionum impendebant. Gallicus tumultus alpibus egressurus Sabaudiam et Pedemontanas regiones furens minitabatur. Tunc Episcopus Sardiniae Regum studiosissimus, nec non novis Gallorum rebus infensissimus, quidquid auri, quidquid argenti apud se repererat, aut in Ecclesiis, praecipue in Cathedrali libentissima ad Regni praesidium obtulit, aeneis quoque nolis templorum turres expoliavit, et in regias officinas mittere studuit. Fefellit tamen concepta spes, nam cum in Nicense principatum, atque in occidentalem Lugusticam oram extemplo irruissent minaces Galli, diu iniquo marte dimicatum est, et anno MDCCXCVI mense Aprilis Clarasci pax inita fuit, gravioribus sane conditionibus, quibus hostes Cuneum, Derthonam, et Cebam munitissimas arces occuparent et impune Pedemontem transeuntes Mediolanensem provinciam ingrederentur.

Has Regni acerbitates aegre ferens Episcopus jam senio confectus, laboribusque attritus, resque novas pertaesus, pejoraque timens molesta paralisi corripitur, ut numquam convalescere potuerit. Et re quidem vera Ecclesiae luctuosissima vidit, pluraque ipse passus est, Fratres Ordinis Servorum B. M. V. alio ductos (MDCCXCVII) Coenobium, templumque occupatum, devenditum, prostratum; VII idus Decembris MDCCXCVIII Gallicas copias Viglevanum irruentes, sibique carissimum Regem Augustae Taurinorum profugum, Sardiniae litora appetentem; denique in tanto moerore familiarissimum a Secretis Gianolium, aliosque inter Clerum praestantes pene repente vita defunctos. Neque tamen quies et ordo in urbe restituitur V idus Maii MDCCLXXXXIX supervenientibus Austriadum copiis; adeo cuncta perturbatis verticibus obvolvabantur. Quinimo meunte anno proximo ferociores vel meliori exitu Gallorum exercitus Penninis alpibus irruunt; foederatorum copiae undique fugantur, delerentur, et constituta Cisalpina republica, ipsi Viglevanum una cum Novariensi provincia et Laumellina adicitur.

In tanto armorum strepitu, rerumque atque ordinum omnium perturbatione optimi et religiosissimi Praesulis corpus diuturno paralisis morbo attritum de-

ficiebat, atque ad vitae exitum properare praesentiens, devotissime Eucharistiae Sacramenta, quod frequenter in morbo suscipere studuit refectus, et in extremis sacro oleo inunctus ingenti omnium moerore XII calendas Martii MDCCCI decessit annos natus LXXX, menses XI, dies XXIV. Reliquos Episcopos aetate antecessus Ecclesiam rexit annos XLIII, menses VII. Funebria duxit Episcopus Novariensis Victorius Melanus a Portula, laudationem habuit Canonicus R. Cathedralis Joannes Baptista Sacchetti. Ossa in templo maximo in D. Caroli aede quiescunt, ubi simplex et brevis prostat inscriptio:

IOSEPH . MARIA . SCARAMPI

EPISCOPVS . VIGLEVANENSIS

TOTVM . IN ELEEMOSYNIS

PROFVDIT

OBIIT . DIE . XVIII . FEBRVARII

ANNO . MDCCCI

EPISCOPATVS . SVI . XLIV

Ejus praecordia condita fuere in aede urbani Valetudinarii suis sumtibus excitata, quod testamento haeredem ex asse constituit, lege imposita, ut dos quaedam singulis annis duabus inter pauperes puellas per Episcopum pro tempore designandis distribuatur.

Vacante Episcopali Sede Canonici rite congregati Vicarium Capitularem dixere Collegam Archipresbyterum Benedictum Tornaghi Viglevanensem J. U. D., et defuncti Praesulis a vice sacra, qui summa laude difficillimis hisce temporibus Ecclesiam rexit, et subsequentis Episcopi Milesii pariter fuit Vicarius Generalis.

CAPUT XXVI.

SERIES OMNIUM VIRORUM

qui Vicariam operam Episcopis Viglevanensibus impenderunt, e variis hinc inde monumentis ab eodem Canonico Giannolio deprompta; iisque ordinatim adduntur Vicarii Capitulares, qui, Sede vacante, Ecclesiam Viglevanensem rexerunt.

VICARII GENERALES PRIMI EPISCOPI GALEATII PETRÆ

I. Vincentius Gavatius Archipresbyter Eccl Cathedralis.
II. Petrus de Mayochis Primicerius Cathedralis.
III. Ambrosius de Madiis Decanus Cathedralis.

VICARII GENERALES SECUNDI EPISCOPI MAURITII PETRÆ

I. Bartolomeus Paternus Cremonensis.
II. Jacobus Broglio Praepositus Cathedralis.
III. Joannes Ambrosius Aliprandus Praepositus Cathedralis.
IV. Joannes Maria Muraldi Cantor Cathedralis.
V. Ambrosius de Suigo Canonicus Cathedralis.
VI. Paulus Maria Gavatius Primicerius Cathedralis.
VII. Julius Paulus Toscanus Archidiaconus Cathedralis.

Mortuo Episcopo Mauritio Petra electus fuit primus Vicarius Capitularis praedictus Archidiaconus Julius Toscanus.

VICARII GENERALES TERTII EPISCOPI ALEXANDRI CASALIS

I. Laudatus Archidiaconus Julius Paulus Toscanus.
II. Petrus Franciscus Bulgarius.
III. Panetius Pandortius.
IV. Joannes Bartolomeus Scagha.

Victa functo Episcopo Casali creatus fuit Vicarius Capitularis Hyeronimus Rosamarina Decanus Cathedralis.

VICARII GENERALES QUARTI EPISCOPI BERNARDINI BRICENII

I. Caesar Macinelli Archipresbyter Maceratae.
II. Albertus Vignati Praepositus Laudae Pompejae.
III. Octavius Saracenus Canonicus Senarum.
IV. Joannes Gonsalez de Artazza Hispanus.
V. Memoratus Hyeronimus Rosamarina Archidiaconus.

Post mortem Episcopi Bricenii iterum Vicarii Capitularis munus delatum fuit dicto Archidiacono Rosamarina.

VICARII GENERALES QUINTI EPISCOPI PETRI PAULI COSTACCIARII

I. Praedictus Archidiaconus Rosamarina.
II. Morandus Colli Decanus Cathedralis.

Defuncto Episcopo Costacciario delectus tertio fuit Vicarius Capitularis jam enuntiatus Hyeronimus Rosamarina Archidiaconus.

VICARII GENERALES SEXTI EPISCOPI MARSILII LANDRIANI

I. Antedictus Archidiaconus Rosamarina.
II. Franciscus Gambara Praepositus Cathedralis, cujus vita ad annum centesimum nonum fuit perducta.
III. Antonius Accialis Canonicus Eccl. Cathedralis Papiae.
IV. Joannes Baptista Raverta Praepositus S. Gaudentii Gambolati, deinde Canonicus Viglevani.

Mortuo Episcopo Landriano quarto designatus fuit Vicarius Capitularis toties laudatus Archidiaconus Rosamarina.

VICARII GENERALES SEPTIMI EPISCOPI VENERAB. PETRI GEORGII ODESCALCHI

I Praefatus Archidiaconus Rosamarina.

II. Carolus Pessotus Canonicus, et Archidiaconus, et deinde Praepositus Cathedralis.

III Joannes Angelus Calvi Canonicus Viglevani, dein Vicarius Novocomensis, tandem Praepositus S. Laurentii Mortarii.

Ex hac vita migrato Episcopo Odescalco renunciatus fuit Vicarius Capitularis Paulus Camillus Colli Canonicus Cathedralis.

VICARII GENERALES OCTAVI EPISCOPI FRANCISCI ROMERO

I. Franciscus Antonius Tomasi Capuanus.

II. Joannes Antonius Bonfilius Canonicus Decanus, et deinde Praepositus Cathedralis.

Defuncto Episcopo Romero inaugurates fuit Vicarius Capitularis Petrus Franciscus Cocchi, qui fuit Poenitentiarius, Primicerius, Decanus, Archidiaconus, et tandem Archipresbyter Cathedralis.

VICARIUS GENERALIS NONI EPISCOPI JOANNIS GUTTIERRES

Praefatus Petrus Franciscus Cocchi Archipresbyter.

Post interitum Episcopi Guttierez designatus fuit Vicarius Capitularis Paulus Camillus Colli Archidiaconus, dein Archipresb. Cathed.

Abdicato Episcopatu ab Eminentissimo Cardinali Stephano Donglio decimo Episcopo, praedictus Paulus Camillus Colli munia Vicarii Capitularis exequi perrexit.

VICARIUS GENERALIS UNDECIMI EPISCOPI GABRIELIS ADARZO DE SANTANDER

Vincentius Ubaldus Colli Praepositus S. Laurentii Mortarii, de inde Cantor Cathedralis.

Translato Praesule Adarzo ad Archiepiscopatum Hydruntinum nomine Vicarii Capitularis appellatus fuit Joannes Andreas Cocchi Archidiaconus Cathedralis.

25

VICARII GENERALES DUODECIMI EPISCOPI ATTILII PETRAE SANCTAE

I. Praedictus Archidiaconus Joannes Andreas Cocchi.

II. Memoratus Cantor Andreas Ubaldus Colli.

Mortuo Romae Praesule Attilio Petra Sancta, iterum delectus fuit Vicarius Capitularis Archidiaconus Joannes Andreas Cocchi

VICARII GENERALES DECIMI TERTII EPISCOPI HIERONYMI VICECOMITIS

I. Praefatus Vincentius Ubaldus Colli Cantor.

II. Laudatus Joannes Andreas Cocchi Archidiaconus.

III. Joannes Paulus Merula Canonicus Cathedralis

IV. Joannes Franciscus Pisani Viglevanensis Canonicus Theologus Eccl. Cathed. Novariae.

Post mortem Episcopi Vicecomitis creatus fuit Vicarius Capitularis memoratus Canonicus Joannes Paulus Merula.

VICARII GENERALES DECIMI QUARTI EPISCOPI JOANNIS RASINI

I. Laudatus Canonicus Joannes Paulus Merula.

II. Praedictus Joannes Franciscus Pisani Canonicus Theologus Cathedralis Novariae *

Defuncto Episcopo Rasino Vicarii Capitularis munus delatum fuit Antonio Bonfilio Canonico Poenitentiario Cathedralis.

VICARII GENERALES DECIMI QUINTI EPISCOPI JOANNIS CARAMUELIS LOBKOWITZ

I. Jam enunciatus Canonicus Antonius Bonfilius.

II. Joannes Thomas Butius.

Post obitum Antistitis Caramuelis delectus iterum fuit Vicarius Capitularis jam enunciatus Canonicus Poenitentiarius Antonius Bonfilius, qui deinde fuit Archidiaconus, et Praepositus Cathedralis.

* Lazarus Cotta dicti Pisani meminit in libro cui titulus *Museo Novarese* St. 11 num. 850. pag. 271. 272. scribit, Viglevani laudatum Pisani nomen Antistitum Vicarium Generalem fuisse Vicecomitis Caramuelis (non autem Rasini) et Bossuet. Eodem libro pag. 204 et 205 Bonifilium ut Observatissimum recenset eiusdem Vicarii, alia munera narrat quae suscepit. Cichi nostri scribens, *Joannem Franciscum Pisani J. U. ac S. T. D. nunc Protonotarium Apostolicum, S. Officii Consultorem olim Nunciaturae Apostolicae apud Helvetios et Rhaetos Auditorem Generalem, ac Internuncium tandem sub initio an. 1701 Cardinalis Morigia Papiensis Episcopi Vicarium Generalem.*

Edit.

VICARIUS GENERALIS DECIMI SEXTI EPISCOPI FERDINANDI DE ROXAS

Praedictus Joannes Franciscus Pisani Can. Theol. Novariae.

Ex hac vita migrato Episcopo de Roxas designatus tertio fuit Vicarius Capitularis antedictus Archidiaconus Antonius Bonfilius.

VICARIUS GENERALIS DECIMI SEPTIMI EPISCOPI PETRI MARINI SORMANI

Laudatus Antonius Bonfilius Praepositus.

Mortuo Praesule Marino Sormano renunciatus fuit Vicarius Capitularis Bernardinus Cattaneus Canonicus Cathed., et dein Archipresb.

VICARIUS GENERALIS DECIMI OCTAVI EPISCOPI HIERONYMI ARCHINTI

Praefatus Archipresbiter Bernardinus Cattaneus.

Post mortem Episcopi Archinti inauguratus fuit Vicarius Capitularis Petrus Georgius Fusi Praepositus Cathedralis.

VICARIUS GENERALIS DECIMI NONI EPISCOPI GEORGII CATTANEI

I. Antedictus Canonicus Petrus Georgius Fusi, sed cum ob gravia Capituli Viglevanensis negotia Viennam profectus fuisset, Provicarii Generalis munia explevit Joannes Baptista Silva Archipresbyter Cathed.

Defuncto Episcopo Cattaneo creatus fuit Vicarius Capitularis Jacob Antonius Fusi Canonicus Cathedralis.

VICARII GENERALES VIGESIMI EPISCOPI CAROLI BOSSII

I. Laudatus Praepositus Petrus Georgius Fusi, et in ejus absentia.

II. Praedictus Canonicus Jacob Antonius Fusi.

III. Andreas Tornagus Canonicus Theologus Cathed., et deinde Archidiaconus

Post obitum Episcopi Bossii delectus fuit Vicarius Capitularis jam memoratus Andreas Tornagus Archidiaconus.

VICARIUS GENERALIS VIGESIMI PRIMI EPISCOPI FRANCISCI AUGUSTINI AB ECCLESIA

Antedictus Archidiaconus Andreas Tornagus.

Mortuo Episcopo Ab Ecclesia iterum electus fuit Vicarius Capitularis laudatus Archidiaconus Andreas Tornagus.

VICARII GENERALES VIGESIMI SECUNDI EPISCOPI JOSEPHI FRANCISCI MARIAE SCARAMPI

I. Praedictus Archidiaconus Andreas Tornagus.
II. Petrus Georgius A Cruce Archipresbyter Cathedralis.
III. Benedictus Tornagus Archipresbyter Cathedralis.

CAPUT XXVII.

DE TOTIUS VIGLEVANENSIS DIOECESIS STATU *

Ad operis complementum non abs re erit hodiernum Ecclesiae Viglevanensis statum ob oculos ponere.

Haec itaque Viglevanum in praesens exhibet religiosa Principum, aliorumque Benefactorum munificentia honestatum, decoratumque. In tota Civitate, cujus tamen pro ambitu longe major est Civium numerus, ac censeatur, hominum capita fere tredecim millia enumerantur. Principem in Urbe locum sibi vindicat Ecclesia Cathedralis Divo Ambrosio Dioecesis Patrono dicata, in qua praecellit Episcopus, et Sacris in ea ministrant sex Dignitates, Praepositus videlicet, cui animarum cura est adnexa (licet plerumque per Vicarium exerceatur), Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Cantor, et Primicerius, ac duodecim Canonici, inter quos magister Poenitentiarius, et Theologus, qui omnes una Capitulum constituunt.

Succedunt deinde duo Mansionarii, duo animarum Curatores, duo Levitae, qui omnes non secus ac Episcopus, et universum Capitulum sunt Regiae electionis, et praesentationis. Enumerantur praeterea Capellani quatuordecim, quorum quinque postremi, ab Episcopo Marino Sormano instituti, audiendi Confessiones onus habent: octo Mystagogi, seu Sacrarii Custodes, et decem Clerici, qui omnes Templo Maximo quotidie sunt emancipati. Cathedrali Ecclesiae ita adhaerent Ædes Pontificales, ut citra impluvium commodus ad Templum accessus Episcopo pateat, et non longe ab Ædibus Pontificalibus ad religiose educandam, informandamque Ecclesiasticis disciplinis adolescentiam extructum est prope Ecclesiam Cathedralem Clericorum Seminarium.

* Ejusmodi erat Viglevanensis Ecclesiae status anno [illegible] quo tempore egregius Auctor haec posteritati mandabat. [illegible]

Praeter Basilicam Maximam duas alias complectitur Viglevanum Parochiales Ecclesias S. Dionysii, scilicet, et S. Christofori. Regularium virorum Coenobia mole et decore Templorum, Claustrorumque satis spectabilia septem extant, scilicet S. Petri Martyris Ordinis S. Dominici, S. Francisci Minorum Conventualium, S. Mariae Gratiarum Minorum Observantium, S. Mariae Misericordiarum Servorum B. M. V., S. Mariae de Crucifixo Capuccinorum, S. Pauli Clericorum Regularium vulgo Barnabitarum, et Clericorum Regularium de Somascha, quibus Seminarii cura est demandata. Hisce addendum est egregium Templum Secularium Sacerdotum ad Divi Caroli honorem extructum, ubi Clerus juxta praescriptas regulas sacra peragit.

Tria numerantur in Urbe Religiosarum Virginum optime extructa Monasteria. Primum est sub titulo Assumptionis B. M. V., in quo Virgines regulam et institutum S. Dominici solemnibus votis profitentur, et vitam rigorose communem traducunt.

Alterum est S. Clarae nuncupatum, ubi Sanctimoniales velum gestant sub regula S. Francisci. Etsi hoc Collegium non sit sub clausura, neque ullo Religionis voto adstringantur Virgines, summo tamen probitatis et integritatis exemplo S. Clarae institutum custodiunt.

Tertium Monasterium est Virginum discalceatarum viventium sub regula S. Theresiae, in quibus elucet sanctimoniae et pietatis decor.

Omnia autem Virginum monasteria tam Urbis, quam Dioecesis Episcopali sunt jurisdictioni subjecta.

Praeter plura sacra Consortia in diversis Ecclesiis Canonice instituta, undecim enumerantur laicorum virorum Sodalitates peculiari habitu distinctae, quae in eorum non inelegantibus Oratoriis piorum hominum eleemosinis aedificatis religionis munia juxta praescriptas in Conciliis Provincialibus institutiones exequuntur, atque alia non spernenda sanae pietatis opera exercent.

Inter caetera pia loca eminet magnificum Nosocomium, cui, suprema lege unita et incorporata nuper fuerunt duo alia antiqua hospitalia S. Marthae nimirum, et Immaculatae Conceptionis B. M. V., ac domus pia charitatis.

Patet etiam accurrentibus antiquus Mons Pietatis, numeranturque indigentibus paecuniae discreto foenore. Similiter extat Orphanotrophium pauperum puellarum, et pharmacopolea Officina, in qua medicamina egenis sine pretio distribuuntur.

Non longe ab Urbe patent magnifica Coenotaphia nuper in egregiam speciem constructa, et fere absoluta, ubi per supremam legem omnia fidelium cadavera,

paucis exceptis, sepulcro conduntur In medio amplissimi Cavedii, porticibus circumdati, jam aderat Ecclesia in honorem S Sebastiani Martyris aedificata, in qua ad animarum expiationem plura celebrantur Sacrificia.

In Suburbiis et in agro Viglevanensi plura habentur Oratoria, quae veluti quaedam Corona Urbem circumdant, et in iis praesertim diebus festis ad populorum commodum, et instructionem sacra habentur, atque inter alia eminet Ecclesia Divo Antonio Abbati dicata, et constructa in amplissimo praedio *Sfortiaca* nuncupato, cui annectitur Hospitium Dominicanorum S. Mariae Gratiarum Mediolani

Populus Viglevanensis generatim sumptus docilis est indolis, atque ad pietatem flexibilis Ad fovendum tam facile, propensumque ad pietatem populi genium non parum conferunt castigati mores Sacerdotum tam Saecularium, quam Regularium, qui omnes sunt assidue cooperatores in vinea Domini excolenda, diligentissimeque se habent ad animarum salutem, atque ad divinum cultum augendum, promovendumque sedulo incumbunt. Quod vero admirandum maxime est, nulla unquam discordiarum semina sunt exorta, quae pacem ac concordiam inter Episcopum et Capitulum, inter Clerum Saecularem et Regularem perturbaverint

Haec dicta sint de Civitate; Dioecesis vero Viglevanensis confiniis adeo angustis clauditur, ut ad tres tantum Parochiales Ecclesias extendatur.

Prima est in Civitate Mortarii, in qua Episcopus Viglevanensis, et Ticinensis jurisdictionem exercent, illamque inter se partiuntur per vicos et vias, sed major pars tum territorii, tum personarum Antistiti subjacet Viglevanensi. Illa itaque ad Ecclesiam Viglevanensem spectans est primaria Urbis Ecclesia Collegialis in honorem Divi Laurentii Martyris Deo consecrata, cujus cultui addicti sunt Praepositus annexum habens regimen animarum, ac tredecim Canonici fere omnes ad quotidianam residentiam adstricti

Praeter Collegialem Ecclesiam habetur Coenobium sub titulo S Bernardini, in quo resident Minores Observantes S. Francisci Hic adest etiam antiquum Monasterium sub nomine S. Clarae, in quo Sacrae Virgines solemnibus votis institutum S. Clarae profitentur. Patent deinde quatuor Laicorum virorum Sodalitates peculiari habitu inter se distinctae cum suis Oratoriis Iis addantur duae aliae Ecclesiae, una sub nomine B M V. Lauretanae, sub titulo S. Caroli altera Ad pauperum levamen institutus est Locus pius Charitatis

A Mortarii Urbe parum distat antiqua Ecclesia S. Albini, de qua a S. Carolo

Borromeo tamquam Visitatore Apostolico sejuncta et efformata fuit, assignato annuo censu, Paroecia S. Laurentii Mortarii.

In Gambolati Oppido habetur altera Parochialis Ecclesia. Oppidum Gambolati in duas Paroecias dividitur, una ad Episcopum Viglevanensem, altera ad Praesulem Ticinensem pariter spectat, et uterque Episcopus, exceptis quibusdam Ecclesiis unicuique solide competentibus, Populum inter se dividit non contigui incolatus, sed personarum, cognominum, et familiarum distributione. Ea igitur, quae ad Dioecesim Viglevanensem spectat, est Ecclesia Collegialis Sancto Gaudentio Episcopo sacrata, ubi Praepositus Parochiali muneri addictus, ac tres antiqui Canonici, nec non sex Capellani, Canonici etiam nuncupati, quorum unus Decani titulum praefert, res sacras assignatis diebus peragunt.

Praeter enunciatam Ecclesiam adest Religiosarum Virginum Domus sub titulo S. Clarae, in qua Sanctimoniales vivunt sub regula, et Seraphico instituto tertii Ordinis S. Francisci.

Extat etiam una Sodalitas Laicorum virorum pro habitu distincta sub titulo S. Rochi, et Coenobium Minorum de Observantia S. Francisci cum suo Oratorio. Hic etiam habetur unum Xenodochium S. Archangeli nuncupatum pro recipiendis peregrinis, sublevandis pauperibus infirmis, dotandis puellis, puerisque instruendis.

Postremo Dioecesim claudit antiquissima Abbatia, seu Ecclesia Parochialis S. Mariae de Aqualonga in spiritualibus, et temporalibus Episcopo Viglevanensi subjecta ob unionem Apostolica auctoritate factam Mensae Episcopali.

Episcopus Viglevanensis pro tempore existens et Abbatis S. Mariae de Aqualonga, et Comitis Zemidae, ac Regii Consiliarii titulis gaudet.

Animae totam Dioecesim incolentes sunt circiter quindecim millia, militibus exceptis, ac Metropolitico jure Archiepiscopo Mediolanensi sunt subjectae.

Haec exspectatae auctoritatis monumentis bona fide, magnoque labore, ac studio collegi. Interim vero humanissimum Lectorem rogatum velim, ut si quid minus dignum, vel male exaratum offenderit, id ingenii mei, viriumque imbecillitati tribuat.

FINIS

INDEX

CAPITUM, QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR

Facta a Praesidibus facultate